COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.

SECUNDAE DECADIS SUPPLEMENTUM I.

LIPSIAE MDCCLXXII.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Venetiis apud I. B. Pascali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Salvium.

1.

CAROLI à LINNE' Equ. aur. de ſtella polar. Archiatri Regii Med. et Botan. Profeſſ. Upſal. Acad. Reg. Pariſin. Soc. cet. Amoenitates Academicae, ſeu Diſſertationes variae phyſicae, medicae, botanicae, antehac ſeorſim editae, nunc collectae et auctae cum tabulis aeneis. Volumen ſextum. Holmiae ſumtu et literis Direct. Laurent. Saluii 1763. 8. Alph. 1 pl. 80. Tab. aen. 5.

EXhibuimus in ſupplementis ad decadem primam voluminum commentariorum noſtrorum, *) priora quinque volumina collectarum harum diſſertationum, nunc, dum ſupplementa ad alteram voluminum decadem addere ſuſcipimus, volumen hoc ſextum et paulo poſt ſeptimum recenſebimus.

101. *Generatio ambigena*, Reſp. *Chriſt. Lud. Ramſtröem.* Holmienſi: Upſaliae, 1759. d. 12 decembr.

Cum Cl. Auctori non placuerit ob difficultatem rei et veterum generationem aequivocam, et recentiorum

*) vid. Part. I. p. 90.

tiorum vniuocam ſic dictam, aſſumendi ac defendendi, ad nouam planeque ſingularem theoriam huius rei cogitando peruenit. Cum enim analogiam ſummam certe inter vegetabilia et animalia in-
p. 6. veniret, ſumme cum ſtudio diſquiſiuit, annon ex comparatione ſtructurae vtriuſque ad originem vitae ſeu generationis negotium concludere liceat. Vegetabilia ex medulla et cortice compoſita ſunt, in illa vita eorum póſita eſt, per hunc ſucci mouentur. Medullaris pars erumpit per corticem, planta mutatur, fructificatio peragitur, medulla in ſemina granulatur, quae polline antherarum foecundantur. Corticalis pars ſuccos mouet et medullae nutrimentum praebet, librum deponit, qui plantae partes maſculas ſiue ſtamina ac antheras format, id quod in aſaro perſpicue obſeruauit Noſter. Patent ergo genitalia plantarum, earum mutationes, vti animalium: patet ſumma eorum affinitas; eaedem enim
p. 9. partes eſſentiales in animalibus inueniuntur: medulla nimirum adeſt in cerebro inque ſpina dorſi, exinde oriuntur nerui, a quibus ſenſus et motus pendent; nec deficit corticalis, quae medullarem tegit, ſubſtantia, eademque officia praeſtat, quae in vegetabilibus, in iis conſtructa eſt vaſis, quibus reſpondet ſyſtema vaſorum in animalibus, muſculosque cum foliis comparari poſſe, putat Cl. Auctor. Quod vero medulla propaget plantas, docent ramuli earum, terrae vel alii plantae immiſſi, quod et in animalibus fieri probat taenia. Suſpicatur inde medullae particulas deferri ad ouaria, ibique neruos quoſdam emittere, quae res tamen, vt ipſe fatetur,
p. 11. vlteriorem diſquiſitionem deſiderat. Si plantas hybridas conſideramus, apparet, partes fructificationis matri, externas vero partes, vt folia et cortex ipſe patri, vel eae plantae, a qua altera foecundatur, ſimiles eſſe, id quod et de animalibus hybridis valet;

quorum

quorum interna matri, externa patri similia sunt; exemplo sint mulus, oves et caprae hybridae. Cum itaque medullaris pars plantarum in generatione partium femininearum seu, internarum, corticalis vero in partibus externis ac masculinis formandis omnia efficiat, plane non dubitat Cl. Auctor, eamdem legem in generatione declaranda animalium, cum tam similia sint vegetabilibus ratione structurae, sibi proponere, id quod perceptu non adeo difficile esset ex sententia Cl. Auctoris, nisi viscerum organisatio, cordis et organorum sedsuum structura obstaret. Ex his omnibus corollaria varia colligit, quorum summa haec est, vt putet, quod vterque parentum suum conferat ad sobolem procreandam; parens scilicet in p. 15.
generanda corticali substantia, mater vero in parte medullari, indeque pendeant a patre sano viuidae actiones vitales, a matre vero sana validae actiones animales, quam rem vlteriori physiologorum examini relinquit.

102. *Politia naturae*, Resp. *H. Christ. Dan. Wilcke*, Holmiensi. Upsaliae, 1760. d. 29. mart.

Consilium Cl. Auctoris in conscribenda hac dissertatione fuit, declarandi summum ordinem, qui in globo terraqueo, et quoad creationem, et quoad conseruationem a creatore adhibitus sit ac exinde deducendi officium hominum, magnitudinem creatoris pie venerandi atque admirandi. Con- p. 19.
siderat itaque vnumquodque regnum naturae, ac singuli praestantiam ratione ortus, ordinis, conseruationis, proportionis, nexus rerum, circa quas versatur, ratione legum, quibus incolae mundi, quiqui sint, subiecti sunt et praerogatiuarum vnius praealte- p. 33.
ro, demonstrat, varisque exemplis illustrat: Ex quibus varias in politia naturae leges stabiliendas esse putat: quae omnes inter se comparatae eo redeunt; vt contenta vnius regni generationi, conseruationi, nutrimento, ordini proportioni que alterius inseruiant,

ant et nexus rerum creatarum in mundo hac ratione conſeruetur; homoque vt ratione praeditum animal cognoſcat, ſui cauſſa omnia eſſe; quae a Deo, quem venerari debet, ſint creata.

103. *Theſes medicae*, Reſp. *Io. Chriſt. Dan. Schreber*, Thuring. Upſal. 1760. d. 14. iunii.

p. 40. Auctor harum theſium Cl. ſubſtantiam plantarum duplicem corticalem et medullarem conſiderat et ex hac ratione metamorphoſin plantarum cum mutatione inſectorum comparat; corticalis enim pars larvae inſectorum, medullaris pars vero, ſine partes fructificationis, ſecundum eius ſententiam partibus medullaribus inſectorum ſimilis eſt. Botanici, ad fructificationes ſimiles attenti ſpecies, vnius eiusdemque generis facile inuenire poſſunt. Ad qua-

p. 42. litates plantarum, quae ſapore et odore cognoſcuntur, progrediens, monet medicos, vt, ſi ex fructificatione ad plantarum vires argumententur, ſimul ad qualitates attendant; ſi vero illas diſquirant, ſimul genericas affinitates conſiderent; nec contrarias ſibi miſceant.

104. *Flora Belgica*, Reſp. *Chriſt. Frid. Roſenthal*, Lincopia O-Goth. Upſaliae, 1760. d. 15. octobr.

Praemiſſa generali conſideratione Belgii ratione

p. 44. ſitus, prouinciarum, climatis, incolarum et culturae, plantas ibi ſponte, vel rarius, vel copioſius creſcen-

p. 53. tes, earumque loca natalia enarrat Cl. Auctor; botanicos deinde recenſet, qui plantas indigenas diſquiſiuerunt ac deſcripſerunt, inter quos eminent COMMELINUS et GORTER. Subnectit denique tabulam, qua plantae, ſecundum ſyſtema ſexuale diſpoſitae, cum nominibus trivialibus recenſentur. Ad plantas, quae rariſſime in Belgio inueniuntur refert Lyſimachiam *punctatam*, ac Leuconymphaeam BOERHAAV. Praeter quas maxime vulgares plantae creſcunt et ibi Hippuris *vulgaris*, Elymus *arenarius*, Globularia *vulgaris*, Ilex *aquifolium*, Corrigiola *litoralis*

uralis, Erica *ſcoparia* ac *arborea*, Othonna *paluſtris*, Ophrys *Zeelandica*, Zoſtera *marina*, Zanichellia *paluſtris*, Salix *pentandra* et *rorismarinifolia*, Empetrum *nigrum*, aliaeque.

105. *Anthropomorpha*, Reſp. *Chriſtiano Emanueli Hoppio*. Petropolitano. Upſaliae, 1760. d. 6. ſeptembris.

De ſpeciebus ſimiarum, humano generi vicinis, ſeu P. 63
de illis, quae erectae incedunt et faciem humanae ſimilem ſimilesque manuum plantas habent, Auctor Cl. diſſerit. Sunt vero eae 1) *Simia pygmaeus* EDUARDI, 2) *Simia ſatyrus*, quam vtramque ſpeciem in XII. editione ſyſtematis coniungit. Differt tamen poſterior ſpecies a priore abdomine ventricoſo glabro; 3) ſpecies anthropomorpha tertia hic deſcripta *lucifer* Auctori vocatur, ſeu *homo caudatus vulgo dictus* Edit. X. ſyſt. Nat. In Inſula Iaua et Nicobar homines caudatos reperiri, nonnulli peregrinatores aſſeruerunt, quod tamen plurimi inter fabulas, a nautis excogitatas referre, ſolent. Exiſtere tamen tales homines confirmatur hic teſtimonio cuiuſdam Sueci KOEPING, qui in itinerario ſuo aſſerit, ſe eos ipſum vidiſſe. Fabulam tamen vel ipſam hanc relationem redolere negare non poſſumus. 4) *Homo nocturnus* ſcilicet *troglodytes* (vid. ſyſt. nat. ed. XII.) Plura adiiciuntur teſtimonia, quibus Auctor probare annitur, eiusmodi homines, noctu tantum, videntes cet. inueniri. Putamus tamen plurima ad aethiopes albos morboſa cutis deformatione defoedatos vel ad eam ſimiae ſpeciem quam Cl. BUFFON *Gibbon* vocat inſigni manuum longitudine conſpicuam (quae in Mantiſſa altera *ſimia lar* dicitur) vel ad *ſimiam ſatyrum* et *ſylvanum* pertinere.

106. *Plantas africanae rariores*, Reſp. *Iac. Printz*. Dalekarl. Upſaliae, 1760. d. 20. maii.

Cl. Auctor earum plantas rariſſimas, quas in collectione plantarum Capenſium vidit, quam Cele-

berrimi botanici IOH. BURMANNI filius tempore aestiuo huius anni, terras Suecicas peragrans, secum adduxerat, in hoc specimine enumerauit, ex quibus nonnullas nouas, quae speciebus plantarum Edit. Ildae incrementum addiderint, indicamus; pertinent itaque huc:

Pharnaceum *cordifolium*	Erica *helicacaba*
Selago *coctinea*	Hermannia *triphylla*
Aspalathus *capitata*	Psoralea *hirta*
——— *pinnata*	——— *prostrata*
Crotalaria *imbricata*	Ononis *Capensis*
Lupinus *integrifolius*	Hieracium *Capense*
Athanasia *laeuigata*	Gnaphalium *arborescens*
——— *squarrosa*	——— *ericoides*
Senecio *perfoliatus*	Aster *crinitus*
——— *umbellatus*	——— *taxifolius*
Buphthalmum *Capense*	Gorteria *squarrosa*
Orchis *Burmanniana*	Satyrium *Capense*
——— *flexuosa*	Ophrys *ceffra*
——— *cornuta*	Arethusa *Capensis*

Centella *villosa* et *glabrata*.

Addita est dissertationis huius fini appendix de flora Capensi, quam Cl. Auctor in Amoen. acad. Vol. V, p. 353. nobiscum communicauit. *)

107. *Macellum olitorium*, Resp. *Petr. Iserin.* Sudermann. Upsaliae, 1760. d. 20. decembr.

p. 116. Macellum olitorium veteribus erat forum illud, in quo vegetabilia esculenta venalia proponebantur. Cl. Auctor vero hoc nomine ea vegetabilia, quae alimentum hominibus praebent et plantae culinares dicuntur, tum exotica, quae in hortis nostris aluntur, tum indigena selectiora, proposuit. Plantae vero hae omnes, hic secundum partes et vsum earum in culinis indicatae, tres classes constituunt: Classis prima

*) vid. Comment. nostr. Suppl. ad Dec. I. Pars I. p. 112.

me comprehendit *radices*, quas in *fuſſormes* et *tuberoſas* dinidit, vbi tubera Ari *coloraſiae* et *gſiuleuti*, quae cruda venenata et lethalia ſunt, cocta vero vel aſſata pro nutrimento optimo ſapidiſſimoque habentur. Claſſis ſecunda continet *caules* et quidem *turiones*, *paniculas*, *diſcos* et *fungos*, quos vltimus putat alimentum vix laudabile et cibum ancipitem. Claſſis vltima *folia* ſiſtit, quae *olera* et *acetaria* praebent, vbi Apium *graueolens* ad acetaria relatum, hominibus, morbis ſeruinis laborantibus noxium, eſſe pronuntiatur.

108. *Meloë veſicatorius*, Reſp. *Canuto Aug. Laeuo*, Iemtland. Upſaliae, 1762. d. 20. decembr. p. 132.

In tria capita haec diſſertatio diuiſa eſt, in quorum primo de cantharidibus, in ſecundo de praeparatis earum et tertio de eorum vſu diſſeritur. Officinalis ſpecies non migratoria eſt, ſed in terra habitat et tantum in ramos arborum aſcendit, foliis veſcitur, metamorphoſi autem peracta, iterum terram et latebras petit. Praeter officinalem ſpeciem *meloën* SCHAEFFERI *et bimaculatum* ſimilem habere virtutem veſicantem Auctor ſuſpicatur. De *meloë* vero *cichorii* notum eſt, illum apud Sinenſes officinalem eſſe, quod IMPERATI ſententiam confirmat, qui hanc veram eſſe *cantharidem* DIOSCORIDIS putauit. Rationem, qua cantharides vim ſuam exſerant, explicare non audet. Quae de vſu medico habet, omittimus.

108. *Diaeta acidularis*, Reſp. *Erico Vegelio*, Dalecarl. Upſaliae, A. 1761. d. 18. febr. p. 148.

Acidularum, in Suecia quoque frequentium, vſus, eximius adeo, nullus omnino aut plane noxius foret, diaeta conuenienti neglecta. Quam vero conuenientem dicas, en tibi a Cl. Auctore depictam! Aerem eligi iubet ſiccum, nec nimis calidum, primae aeſtatis; vitari contra humidum, frigidum, paludoſum. Potatis mane aquis ambuletur. Saltatio differatur in horas pomeridianas, aquis iamtum evacuatis.

quatis. Debiliores equo gradario, tolutario, curru vehantur. Iactari quoque in oscillo licet, modo nervis sua constet libertas. Cursus, lucta, equitatio concitatior, motus ante aquae assumtionem, vel postea ad sudorem vsque continuatus et diuresin impediens, vitentur. Ante cibum motus paululum auctior, a cibo vero non statim concedi potest. Somnum imperat mediocrem, sex septemue horarum; post aquae vsum obrepentem damnat. Meridiationem non nisi adsuetis et parcam relinquit. Cibo nimium nutriente copiosoque, male masticato, crudo, duriori, acido, pingui, ex lacte ouisue parato, multo sale condito, porro ientaculis, comessationibus interdicit. Commendat panem neque recens coctum neque vetustum, iuscula farinacea, legumina recentia, radices Dauci, Pastinacae, Petroselini, Rapae, herbas Spinachiae et Cerefolii, turiones Asparagi, Poma, Pruna, passulas, amygdalas, carnes teneriores recentes, parciorem denique piscium fluuiatilium et cancrorum vsum. Potum suadet parcum. Dissuadet cerouisias pinguiores, calidiores, recentes nimiumue vetustas. Vini non acidi, imo spiritus vini modicum vsum laudat. Aluus sit semper aperta, a cruditatibus ante acidularum vsum liberata. Vrina libere fluat. Vomitus, si quis obueniat primum, ventriculo pituita repleto, proficuum est. Interdiu vitetur sudor, noctu modice foueatur. Exul et venus. Plethorico, acidulas potaturo, secetur vena, potanti non facile. Mens esto tranquilla. Pascatur animus laetis affectibus. Ingratae quaecunque animi commotiones absint.

p. 160. 110. *Potum coffeae*, Resp. *Henr. Sparschuch*, Lincopia O-goth. Vpsal. A. 1761. d. 16. decembr.

Laudatis, qui de Coffea scripserunt, auctoribus, breuem tradit Noster potus eius, tum inter orientales gentes, tum apud nos recepti historiam, quam

quam, subiunctis characteribus plantae Linnaeanis, vocabulis aliorum botanicorum synonymis, descriptione denique arboris ex horto Cliffortiano petita, perfectiorem reddit, speciemque non nisi vnicam generis innotuisse monet, quamuis Cl. JACQUINUS in Enumeratione systematica plantarum alterius speciei, Coffeae *occidentalis* mentionem faciat, quae ipsa tamen ob numerum partium floris quaternarium fructumque monospermum alius longe generis esse intelligatur. Caeterum plantam calidis regionibus duplicato quotannis fructuum foenore vtilem, nostris in terris nunquam posse culturam apte remunerari, docet. Praetermissa vero seminum Coffeae analysi modum praeparandi, cum succedaneis Coffeae generibus ex aliarum plantarum seminibus paratis, cumque instrumentis ad potum parandum propinandumque factis exponit; tandemque de effectibus eius agit, ostendens, potu hoc minus diaetetico quam medicamentoso, anorexiam potius, quam appetitum excitari, accelerari peruigilium, cohiberi flatulentiam, tremores induci manibus et capiti, sopiri veneris desideria, oculos debilitari; nocere eum melancholicis, hypochondriacis, hystericis et haemorrhagiis adsuetis, promoueri eo omnes excretiones, inprimis lotii, vniuersum denique corpus exsiccari, debilitari, ad praecocem senectutem disponi. Habere interim Coffeam vires calefacientes, carminatiuas, attenuantes, anthelminticas, excitantes, pellentes, cephalicas denique; quae quidem omnia obseruatiunculis quibusdam illustrantur confirmanturque.

III. *Inebriantia*, Resp. *Olao Reinh. Alander*, p. 180. Westmann. Vpsal. Anno 1762. d. 7. april.

Sub inebriantium vocabulo intelligit Cl. Auctor ea, quae ita agunt in systema neruosum, vt hoc non tantum in actione motus, sed etiam in actione sentiendi

tiendi varietur. Eorum verò alia rustica sunt, alia arte parantur. Ex priorum numero commemorantur *Opium*, nobile eugarum inter Turcas *Semina* Pegani *Harmalae*, SOLIMANNI Imperatoris deliciae; *Miulat Turcorum* s. *Bengue Persarum*, ex polline Cannabis *sativae* sacris cribrato sputoque in trochiscos redacto, aut ex puluere foliorum cannabis cum aqua frigida subinde affusa, presso, trito, denique colato paratum. Porro *Bangue Indorum* ex Hibisci *Sabdariffae* foliis aut eadem ratione tractatis, aut cum Oryza et butyro elixatis confectum. *Semina* dein *Daturae*, quibus, varia ratione praeparatis, Turcae vtuntur. *Pinang Indorum*, masticatorium familiare ex foliis piperis conuolutis, lamellaque nucis Arecae immaturae et parum calcis viuae continentibus, factum. Infusum Hyoscyami *Physaloidis*; Fructus Atropae *Belladonnae*. *Millefolium* cum *Humulo* cereuisiae iniectum, aut eidem additae *Sclareae* et *Melissa*. Porro Lolium *annuum* hordeo pro cereuisia conficienda immixtum. *Crocus* denique et *Tabacum* et postremo *Barbi Cyprini* ova, quae comesta temulentiam facere dicuntur. Inter arte parata nominat cereuisiam, vinum, cedras, lacrymas betulae et palmae fermentatas, spiritus denique stillatitios. His comparantur poetarum nectar nepenthes, et Medeae atque Circes medicamina. Trahitur huc metempsychosis Pythagorica, quamque variis belluis diuersos homines temulentia similes reddat, et quo modo senex, poculis sese inuitans per omnes aetatum gradus retro quasi erret, donec embryonis in modum dormiat, viuit coloribus depingit. Atque sic notatis inebriantium effectibus, quos, senectutem magis in systematis neruosi mutatione, quam in fibrarum rigiditate positam esse, demonstrare asserit, indicatisque inebriantium

ſum nóxis, reprehendit eorum abuſum, commendatque temperantiam.

112. *Morſura ſerpentum*, Reſp. *Ioh. Guſtav. Acrell*, Holmienſi, Upſaliae, 1762. d. 16. maii. p. 197.

Naturam ſerpentum et mechaniſmum telorum atque experimenta REDI de natura veneni cet. Auctor Cl. explicat. Punctura deinde ſymptomata a variis Auctoribus deſcripta et varietates ſymptomatum a morſura variarum ſpecierum obſeruatas commemorat. *Aſpis phthyas* veterum, quae per ſoporem aut lethargum occidit, ex Noſtri mente *Coluber ammodytes* eſt, cum quo et veneni effectu et verruca naſali conuenit. His quaedam de medela morſurae ſerpentum addit. Oleum oliuae inefficax eſſe LINNAEUS in femina *colubri cherſeae* morſu ſaucia expertus eſt. *Polygalae* vero *Senegae* pulueremque eandem ancillam, a ſerpente vulneratam, ſanauit.

113. *Termini botanici*, Reſp. *Ioh. Elmgren*. Smoland. Upſaliae, 1762. d. 22 iunii. p. 217.

In hac diſſertatione explicat Cl. Auctor ea vocabula artis, quae ad ſtudium botanicum per ſe difficillimum, facilius reddendum multum conferunt. Quibus ſi quis aliquod tempus cognoſcendis tribuerit, certe optimo cum ſucceſſu ſuperabit incommoda, quae, hanc viam negligentes, nunquam vincere poſſunt. Eo conſilio Noſter terminos, vt dicunt, botanicos, in ſcriptis Cel. LINNAEI hinc inde ſparſos, collegit, quo tirones breuem, ſuccinctam tamen normam habeant, quam ſequantur. Ordinem in Tomo ſecundo Syſtematis Naturae, a LINNAEO propoſitum ſequutus, conſiderat partes plantarum, explicatque radicum, trunci, ramorum, foliorum, ſalcrorum, armorum, bracteārum, pedunculi, ſcapi, florum, eorumque partium differentias, ac inde petitas denominationes.

114.

p. 247. 114. *Planta Alſtrömeria*, Reſp. *Ioh. Petr. Falk.* Veſtrogoth. Upſaliae, 1762. d. 23. iunii.

Planta rarae pulchritudinis atque ſingularis ſtructurae, ad genus Liliaceorum pertinens, hic deſcribitur; detecta accuratiusque deſcripta et delineata illa eſt a Nobiliſſimi ALSTRÖMERII Conſiliarii et Eq. Aur. de ſtella boreali filio, rebus oeconomicis botanicisque verſatiſſimo in portu Gaditano, a quo eam Cl. Auctori ſemina transmiſſa eſſent, is eam in horto academico poſtea florentem vidit. Quamquam illam iam FEVILLIER in hiſtoria plantarum ſub nomine Hemerocallis deſcripſit, mutila tamen eſt deſcriptio et planta a genere Hemerocallis ſiue Lilio-Aſphodeli TOVRNEFORTII adeo aliena, vt nouum genus Cl. Auctor eam conſtituere perſpexerit. Quia vero illam Nobiliſſimus ALSTRÖMER rite determinatam orbi botanico intulit et cum hortis Europaeis communicauit, *Alſtrömeriae* nomen Cl. Auctor ei dedit. Character genericus eſt, calyx nullus, corolla hexapetala, ſubbilabiata; petala tria exteriora cuneiformia, retuſa, mucronata; tria alterna lanceolata: horum omnium tria ſuperiora erectiora ſunt, ſupremo reflexo: interioria baſi tubuloſa, quod non in tertio, licet ceterum ſimili. Stamina filamenta ſex, declinata, ſubulata, corollae dimidio breuiora, Antherae oblongae. Piſtillum germen inferum, ſexangulatum, truncatum. Stylus filiformis, declinatus. Stigmata tria, oblonga, anguſta, bifida. Pericarpium capſula ſubrotunda, ſexangulata, trilocularis, ſemina plurima ſubgloboſa, punctis eleuatis tecta, apice ſubumbilicata, continens. Species quae hic deſcribitur et icone adiecta illuſtratur, eſt *Alſtrömeria* radice perenni, plures turiones approximatos exſerens, caule ſpithamaeo, craſſitiem pennae columbinae aequante, erecto, tereti foliato, glabro, ſimpliciſſimo, foliis caulinis

ſis ſparſis plurimis, lineari- lanceolatis, terminali-bus 4-5. verticillatim digeſtis, pedunculis termina-libus 4-7 diſtantibus, rigiduli ſaepe monophyllis, te-nuiſculis, inferne auguſtioribus, longitudine fo-liorum, vniflоris. Dum floret, maxime cum Lilio bulbifero conuenit, floris corolla vero primo aſpectu refert Lilii candidi florem, color eius Tropaeoli flo-ri ſimilis eſt. Radicem praeterea huius plantae viri-tem ad Sarſaparillae proxime accedere Cl. Auctor pu-tat, quod ex narratione FEVILLIER coniiçit, qui de al-tera huius generis ſpecie Salſilla nempe refert, ab incolis regni Chili radicem eius in iiſdem morbis pro-fligandis adhiberi, in quibus Sarſaparilla exploratiſ-ſimi vſus eſſe ſolet.

115. *Nectaria florum*, Reſp. *Birger. Mart. Hall*, p. 263. Veſtrogoth. Upſaliae, 1762. d. 25. iunii.

Cl. Auctor partem quandam floris, nullo nomi-ne proprio a veteribus botanicis inſignitam, quae in plurimis floribus dulcem ſuccum ſecernit, qui vel ex glandulis quaſi ſibi propriis ſecernitur vel in vaſcu-lis diſtinctis florum continetur, nectarium vocauit eandem ob cauſſam, ob quam hoc nomen VIRGILIVS pro dulciſſimo melle apum hoc iam vſurpauit: vti-litatem vero, qualem floribus humor iſte in iis con-tentus adfert, Cl. Auctor ignorat, niſi quod Tro-chilii et innumera inſecta alimentum ex floribus illo ſcatentibus hauriunt. Glandulas Cl. Auctor illas partes plantarum vocat, per quas humor aliquis in iis ſecernitur, minime vero auſus eſt affirmare, ſtru-cturam earum analogiam cum glandulis animalium habere; reperiuntur eiuſmodi in Tricoccis, Cucurbi-taceis, Lomentaceis et Columniferis cet. in quibus vel petiolis ſuperne, vel foliis eorumque neruis craſ-ſioribus inferiori paginae affixae admodum ſpecioſe conſpiciuntur, vt nonnullas plantas ob ſingularem earum ſtructuram fere prodigioſas reddant, vti v. c.

Meri-

Morisona et Nepenthes, ex quibus prior glandulas longitudine digiti et aconiti galeae figuratas similes in centro vmbellae gerit, alterna vero fulliculos ob longos, magnitudine pollicis et mitrae capsulas Hyoscyami operculatos, ex apice foliorum prodeuntes. Praeterea folliculos, qui ad radices Utriculariae et Aldrouandae conspiciuntur, etiam glandulas effectrices Auctor putat. His praemissis, ad ipsas iam partes florum, quae nectariis instruuntur, accedit et modos earum XVIII. sequentes constituit: 1) *Receptaculum* floris in nonnullis gerit glandulam, conuexam, succulentam nectare hoc madentem. 2) *Calyciflorae*, ad quas rubum fragarium, potentillam cet. refert, quarum omnium calyces interne vestiti sunt substantia glandulosa et madida nectarii vices sustinente. 3) *Monopetalae* vt Lamium, Galeopsis, Anchusa cetae extracta corolla in limbo longum tubum, melle impletum, gerunt. Hos tres vero modos ob singularem structuram, quam habent, non proprie nectaria dicit. 4) *Tetradynamia* binis, quaternis vel senis glandulis intra vngues petalorum sitae melleum succum secernunt. 5) *Papilionaceae*, in quibus ad inferius et superius latus baseos germinis intra distinctum filamentum glandula nectarifera reperitur, quae etiam efficit, vt basis huius filamenti incurvetur. 6) Nectaria acuminibus subulatis germini circumsidentibus habent Wachendorffia, Tamarindus, Glinus, Vallisneria cetr. in quibus vel ex setis vel filis vel cuspidibus nectarium constructum est. 7) Flores, qui gerunt *Squamas* petaliformes pistillum circumstantes, sunt Hartogia, Theobroma; Sauuagesia, Helicteris, in his omnibus quasi e petalis quinque nectarium componitur. 8) Squamis, nectarium efficientibus ipsis staminum *filamentis* insertis conspicitur Zygophillum, Campanula, Rorella, Polemonium,

Plum-

gine et Asphodelo. 9) *Antherae* rarissime nectaria ferunt, quare vnica tantum Adenanthera, quae glandulam nectariferam in ipsa anthera gerit, huc est referenda. 10) *Tubus corollae*, vti in Narcisso, Pancratio, Nerio, Melia, Swietenia cet. nectarium sistunt elongatum tubulosum, cui petala quasi agglutinata vel ad basin tubi appositа sunt. 11) Nectarium *globosum* perforatum germine inclusum refert, Mirabilis, Tinus et Ruscus cet. 12) *Coronae*, radiantis instar germen ambiens passiflora habet; huius corona triplex ex radiis constructa nectarium sistit. 13) *Propria petala* nectarifera gerunt Canna, Amomum, Curcuma, Musa Epidendrum. 14) *Unguibus* petalorum nectaria insertis gerunt Berberis, Ranunculi, Treuia, Riggelaria, Cuscuta, Fritillaria cet. 15) *Calcar* nectarium cornutum referens, quo viola, Antirrhinum, Fumaria, Delphinium Orchis et Satyrium cet. instructa sunt. 16) *Propria nectaria*, et reliquis florum partibus distinctissima gerunt, Aconitum, Aquilegia, Helleborus, cet. 17) *Calyces* nectaria a corolla distinctissima gerunt Tropaeolum, Impatiens, Malpighia et Bannisteria cet. 18) Plantae quae *pistillum* nectariferum gerunt, sunt Dioscma, Hyacinthus Albuca cet. His praemissis, sententiam VAILLANTII, quam de nectario fouebat, dum corollam tantum mellis praeparationi esse aptam statuebat, Cl. Auctor ita negat, vt ad supra narrata exempla ex quibus appareat non in hac sola mellis praeparationem fieri, prouocet.

116. *Fundamentum fructificationis*, Resp. *Ioh. Mart. Graberg*, Gothoburgensi. Upsal. 1762. d. 16. oct. p. 279.

Considerato studii botanices incremento a CAESALPINI temporibus vsque ad nostra, variorumque systematibus, a variis plantarum partibus desumtis, explicatis, certissimum fundamentum determinandi genera plantarum fructificationis partes

praebere, contendit Cl. Auctor. Intelligit vero per eas non ſolum corollam, pericarpium et ſemina, ad quae iam TOURNEFORTIUS reſpexit, ſed et calycem, nectaria, ſtamina atque piſtilla, qua in re ſtudium Cel. LINNAEI meritis extollit laudibus. Omnia itaque reliqua ſyſtemata, quae non partibus eſſentialibus plantarum nituntur, manca ſunt ex eius ſententia, vt e. g. HEISTERI ſyſtema, a foliis deſumtum. *Planta enim*, inquit, *ex interiori ſua ſubſtantia cognoſcitur, non ex craſta, tegumento aut larua*; idem enim eſſet, plantam ex foliis vel ſeminibus determinare, ac animal ante metamorphoſin eius cognoſcere, atque definire, vtrumque enim incertum ac falſum eſſet. Hoc vero non tantum de definitione generum valet, ſed et ſpecierum; color, magnitudo, ſapor, odor vel plenitudo floris nihil ex Cl. Auctoris ſententia determinat, ſed ad ſtructuram in definienda generis cuiusdam ſpecie attendendum eſt; quos iam enumerauimus, characteres, varietates tantum efficiunt, quamquam habitus et figura earum ſaepiſſime per plures annos, imo ſemper manent; quod teſtatur *Peloria*. Progreditur porro Noſter ad generationem plantarum hybridarum, vbi cum Cl. RANSTROEM *) eandem fouet ſententiam; interiorem ſcilicet plantae hybridae ſtructuram matrem, exteriorem patrem referre. Vnam ſpeciem eiusdem generis forte ab initio creationis adfuiſſe, perque generationem hybridam plures eſſe ortas, hypothetice proponit Noſter; pauca tandem adiicit de claſſibus ac ordinibus naturalibus plantarum, quas omnino eſſe non dubitat.

p. 305. 117. *Reformatio botanices*, Reſp. *Ioh. Mart. Reſtelius*, Uplando, Vpſaliae, 1762. d. 18. dec.

Finis Cl. Auctoris in conſcribendo hoc libello, vti patet, fuit, incrementum ac progreſſum botanices

*) vid. Amoen. Vol. hoc na. Cl. p. 1. ſupra p. 4.

es ab initio vsque ad nostra tempora ostendere, atque breuem historiam litterariam eius tradere, quapropter totam rem sub variis epochis, quas constituit, considerat. Prima epocha est fundatorum, qui seculo demum decimo sexto exstiterunt, et ad quos iure referendi sunt BRUNFELSIUS, MATTHIOLUS, GESNER, CLUSIUS, omnesque reliqui, post eos viuentes vsque ad vere magnum fundatorem, C. BAUHINUM, qui seculo decimo septimo fundamenta huius studii felici ausu ao. 1623. iecit, annis quadraginta in pinace conscribenda consumtis. Qui tamen omnes, praeter nomina plantarum, nihil de structura earum cognoscebant. Sequitur epocha systematica, quae seculo praeterito initium capere incepit. Postquam enim multae plantae exoticae a BREYNIO, MORISONO, TOURNEFORTIO aliisque erant detectae, quae numerum Bauhiniarum plantarum, nisi superant, tamen certe aequant, confusio plane non euitanda orieba-tur, vnde de systemate plantarum condendo cogitabant MORISONUS, RAIUS, HERRMANNUS, summusque certe botanicorum TOURNEFORTIUS, qui genuinam methodum primus a flore in classibus distinguendis, a fructu vero in ordinibus dignoscendis optime adornauit. Omnes fere postea eum secuti sunt, et ad systema hoc illustrandum ex parte contulerunt, a BOERHAAVIO vsque ad RIVINVM aliosque, qui quaedam emendarunt. Tertiam denique epocham reformationis nomina. Auctor Cl. quam in annum 1735. ponit, vbi Cl. HALLER atque LINNAEVS inceperunt vnusquisque systema suum condere. Attamen Cl. Auctor praecipua Linnaeani systematis momenta enarrat, eos nominat, qui, itineribus institutis, varias plantas in loco natali disquisiuerunt, sicque multum ad LINNAEI labores perfectiores reddendos contulerunt;

tuleruńt; porro eos, qui illud ſyſtema omni ex parte receperunt; denique ea addit momenta, ad quae in poſterum botanici attendere debent, ex hiſque omnibus varias concluſiones elicit.

p. 324. 118. *Prolepſis plantarum*, Reſp. *Henricus Ullmark*, Vermelando. Vpſal. 1760. d. 22. dec.

Occultam plantarum metamorphoſin quodammodo explicare annititur Cl. Auctor, quapropter, quibusdam praemiſſis, quae ſtructuram exteriorem ac culturam plantarum concernant, oſtendit a gemmis earumque euolutione ſexannua omnia in vegetatione plantarum pendere foliaque ſobolem eſſe praeſentis anni, organa motus humorum in plantis, ſine quibus viuere non poſſunt, quod patet ex foliis ab inſectis arroſis vel marceſcentibus. Quo enim facto plantae infirmiores ipſae pereunt, arborum vero gemmae proximo anno euoluendae hac aeſtate prodire coguntur; nullum enim folium, ſemel deſtructum, de nouo creſcit. Quae omnia optime probant Berberis folia. Sobolem inſequentis anni bracteas ſeu folia floralia eſſe, porro demonſtrat. Plurimae plantae bracteis inſtructae ſunt; ſi flores mature deſtruuntur, obſeruauit Noſter, bracteas in folia perfecta mutari; videntur itaque vnam eandemque originem cum foliis habere, id quod multis exemplis probat, quorum tamen luculentiſſimum inuenit in ornithogali et hyacinthi ſpeciebus, in quibus id clare animaduertit. Soboles tertii anni eſt perianthium; quod ſic explicat: in omni gemma deliteſcunt rudimenta foliorum, quando nunc fructificationis partes, perfectionem nactae, expelluntur, tertii anni folia abundantiam adfluentis ſucci perdunt, ſic itaque non explicantur, ſed inter ſe cohaerent, data liberiori via medullae ad ſuum properantis faſtigium, perianthium conficiunt folia. Sic pyri et meſpili calyces ſaepe ad perfecta folia excreſcunt

creſcant, ſic et roſae ac meſembryanthemi *barbati* calyx, et omnes plantae luxuriantes id probant, ſoboles quarti anni ſunt petala, quod demonſtratur exemplo proliferarum plantarum, vbi petala, niſi flores fierent, mutari deberent in folia inſequentium amorum. Quinti anni ſobolem ſtamina eſſe probant flores pleni, in quibus ſtamina mutantur in petala corollae, quae eandem iterum ac folia originem ac ſtructuram habent. Piſtillum denique vltimi anni eſſe foliorum rudimenta plenis floribus et cardui ſpeciebus ſe obſeruaſſe dicit, in his enim, cardno ſcilicet *heterophyllo* et *tatarico*, vidit ſtylum, in duo foliola viridia ſerrato-ciliata, inſtar bractearum mutari. Ex his omnibus concluſionem elicit, vegetationem ibi deſinere, vbi incipit fructificatio, gemmamque cum ſemine plane conuenire.

119. *Fructus eſculenti*, Reſp. *Ioh. Salberg*, Holmienſi, Vpſaliae, 1763, d. 11. iunii. p. 342.

Cl. Auctor vt in diſſertatione centeſima ſeptima *) plantas culinares methodice conſiderauit, ita in hoc ſpecimine pari modo pericarpia ſiue fructus plantarum nonnullarum, quae edules ſunt, in claſſes certas redigit. Claſſis itaque prima *baccas indigenas* v. c. fragaria, rubum, vaccinium, ribes cet *hortenſes*, ficum, vitem, bromeliam cet ſiſtit. Claſſis ſecunda *drupas*, primo *europeas* ad quas prunus, amygdalus *perſica*, olea *europaea* cet. tandem *exoticas* phoenicem, chryſobalanum, rhamnum, iuiubam cetr. refert. Claſſis tertia *poma* comprehendit et quidem *arbores*, quae pyrum, punicam, citrum proferunt, deinde *herbas* quae cucumeres et cucurbitas exhibent: Claſſis quarta *legumina*, primo *peregrina*, quae ceratoniam, tamarindum, caſſiam *culta*, quae dant, phaſeolum, piſum, lupinum cet. includit: Claſſis quinta *cerealia*, nimirum ſecale

 hordeum

*) vid. Comment. noſtr. Vol. hoc p. 8.

hordeum, triticum ſiſtit: Claſſis vltima *nuces* complectitur, ad quas cocum, theobromam, trapam cet. refert. His ſingulis ad earum vſum ſpectantes annotationes, qui non ſolum conſiſtit in nutriendo, ſed etiam in medendo, adiecit.

p. 365. 120. *Prolepſis plantarum*, Reſp. *Ioh. Iac. Ferber*, Caroli-Coronenſi, Vpſaliae, 1763. d. 12 iunii.

Fundamentis in hac difficillima re a LINNAEO et Cl. VILLMARK poſitis; Auctor huius diſſertationis innitens, occultam vegetationis rationem accuratius conſiderat. Diuidit tractationem in tria capita, quorum primum de nutrimento plantarum, alterum de origine et euolutione gemmarum, tertium de inuolutione plantarum in ſemine et hybernaculis agit. Plantae nutriuntur tinctura aquoſa humi, vt vocat Cl. Auctor, quae radiculis ſugitur et a calore pellitur mediante ſubſtantia corticali verſus ſuperiora; medullaeque alimentum praeparat ac praebet. Vim expanſiuam medullae abundante nutrimento augeri, negat Noſter, docetque vegetabilia ad ſponſalia celebranda, i. e. ad flores et fructus proferendos nutritione nimia inepta reddi, ideoque melius eſſe parcius nutrimentum praebere, quo efficitur, vt cortex exſuccus quaſi euadat, ſicque facilius a medulla penetretur, luxuriantesque rami cohibeantur. Sed accedat et calor neceſſe eſt, qui propulſionem medullae per ſubſtantiam corticalem iuuet. Capite ſecundo originem ac euolutionem gemmarum conſiderat, vbi eandem germinationem ac vegetationem ſexennem aſſumſit Cl. Auctor, quam Cl. VILLMARK in diſſertatione ſua defendit, ac eadem ratione docet, bracteas et calicem corticis, petala libri, ſtamina ligni, piſtillum medullae progeniem eſſe. Progreditur tandem tertio capite ad involutionem plantarum in ſemine et hybernaculis. Omnes partes plantarum, quibus aliquantulum ſubſtantiae

stantiae medullaris inest, propagari posse, certissima res est, inde gemmae et bulbi, rami, radices, imo folia, nouas efficere possunt plantas. In vnoquoque enim femine et bulbo plantae futuri anni delitescunt flores et folia, vti hoc primum omnium MALPIGHIVS in tulipae bulbo demonstrauit, quae, accedente calore et nutrimento, euoluntur, ac crescunt.

121. *Centuria insectorum*, Resp. *Boa. Iohansson*, Calmarienſi, Vpſ. d. 23. iunii. 1763. p. 384.

Insectorum historiam litterariam Cl. Auctor in tres epochas diuidit, quarum prima GESNERVM, MOUFFETTVM, ALDROVANDVM et IOHNSTONIVM, secunda eos, qui metamorphosin insectorum primum descripserunt, HOFNAGELIVM, GOEDARTVM, LISTERVM, SWAMMERDAMVM, MERIANAM, ALBINVM et FRISCHIVM, tertia vero recentiores comprehendit. Ipsa vero haec dissertatio descriptiones centum nouarum specierum indicarum et exoticarum continet, quas Ill. LINNAEVS a variis amicis accepit et quarum descriptiones in systematis editione decima adhuc desiderantur.

122. *Lignum Quassiae*, Resp. *Carolus Mi. Blom*, Smolando, Vpsal. 1763. d. 28. maii. p. 416.

Cl. Auctor medicamentum nouum Surinamense describit, quod ibi contra febres malignas istis regionibus endemias seruus quidam nigrita nomine Quassi detexit et contra eas tanquam arcanum propinabat. Cura vero gubernatoris huius prouinciae Nobilissimi DAHLBERG detectum fuit medicamentum arborque, ex qua desumitur. Qui etiam redux in Sueciam racemum florum, fructus et folia eiusdem Cl. LINNAEO secum apportauit: ex quorum inspectione nouum genus huius arboris esse inuenit, cui Quassiae *amarae* nomen tribuit; monetque genus p. 420.

nus Quaſſiae non niſi receptaculo carnoſo et pericarpiis quinque diſtantibus monoſpermis a zygophyllo, cuius capſula quinquelocularis polyſperma eſt, differre. Quod ad lignum Quaſſiae ipſum attinet, ex radice huius arboris obtinetur, et a Cl. Auctore, ob ſaporem valde amarum ſine ſenſu tamen adſtrictorio inter omnia huc usque cognita amara gratiſſimum optimumque praedicatur. Hinc etiam in omnibus morbis, vbi amara requiruntur, optimum eſſe dicit, praecipue vero in America contra febres intermittentes, vbi non raro corticis Peruuiani vſus irritus fuit, lignum hoc ad drachmam vnam in quacunque forma propinatum egregium fuit. Caeterum medicamentum hoc non ſolum in febribus, ſed etiam in aliis prodeſſe morbis, Cl. Auctoris experimenta tria in aegris inſtituta comprobant. Adiecta eſt huic diſſertationi Tabula aenea, quae ramulum cum floribus huius arboris, ex qua lignum Quaſſiae obtinetur, ſiſtit.

p. 430. 123. *Raphania*, Reſp. *Georgio Rothmann*, Smolando. Vpſaliae, 1763. d. 27. maii.

Morbus ſpaſmodicus deſcribitur, qui in Smolandia inprimis a. 1754. epidemice graſſatus eſt, et idem morbus eſt, quem noſtrates *die Kriebelkrankheit* vocant, cuiuſque ortum vel ex eſu ſecalis cornuti vel ex alia frumenti corruptione deducunt. Adductis aliorum de natura huius morbi et ſymptomatibus in eo obuiis obſeruationibus, Cl. Auctor docet, hunc morbum ſemper ex eſu panis recentis atque e clibano calentis ex frumento nouo confecti oriri. Smolandiae vero ruſtici pane ex hordeo, vt plurimum praeparato, rariſſime ſecalino veſcuntur. Quod vero cauſam morbi huius attinet, Cl. Auctor non ſecale cornutum, frumenti corruptionem aliam accuſat, ſed ſemina raphani *raphaniſtri*, quem noſtrates *Hederich* vocant, frumento admiſſa tot mala ſymptomata

mata producere probare tentat. Acre enim volatile huic plantae inhaeret, cum ex genere nasturtiarum sit, eaque acrimonia, si planta in solo humido et tempestate humida crescat, augeatur; pluuiosam enim aestatem semper morbum hunc praecedere obseruarunt. Hanc quoque raphanistri vim venenatam, ex vnico experimento in malcagride facto confirmat, quod tamen, cum eiusmodi aues spasmo saepius afficiantur et causa quoque in reliquo victu forte posita fuerit, nostro iudicio parum probat. Quod tandem quam attinet, docetur, radicem in primis valerianae minoris et angelicae syluestris, nitrum, castoreum, camphoram et in fine morbi corticem chinae vel succedaneum eius corticem fraxini leniorasque diaphoretica plurimum praestitisse. Rustici quoque tinctura alchemillae vulgaris maximo cum fructu vsi sunt. Addita est botanica raphani *raphanistri* descriptio cum figura.

124. *Genera morborum*, Resp. *Ioh. Schroeder*, p. 452. Gothoburgensi, 1759. d. 5. dec.

Ad Ill. SAVVAGESII modum LINNAEVS quoque illustris systematicum morborum ordinem hic proponit. Sunt vero morbi vel *febriles* vel *temperati*. *Febriles* tres classes 1) *exanthematicos* scilicet 2) *criticos* in quibus vrina cum sedimento est, et 3) *phlogisticos* comprehendunt. *Temperati* vero vel neruos, vel fluidorum secretionem vel solida afficiunt. Ad *neruinos* pertinent, 4) *dolorosi*, 5) *mentales*, in quibus iudicii alienatio est 6) *quietales*, in quibus motus abolitio obseruatur et 7) *motorii*, vbi motu inuoluntario aegri agitantur. Fluidorum secretio vel supprimitur, ex qua re 8) *suppressorii* morbi oriuntur, vel augetur, quod 9) *euacuatorias* sistit. Solidorum vero morbi vel *interni* sunt, in quibus solidorum facies mutatur, qui 10) *deformes* dicuntur, vel *externi* qui 11) *vitia* Nostro audiunt. Singulos

ordines et genera recenſere nimis longum foret, cum genera 325 numerentur; quapropter ſpeciminis loco definitiones nonnullorum generum, quae partim nouis nominibus diſtincta ſunt, hic adduxiſſe ſufficiat. *Glus* (199) eſt morbus, in quo vrinae viſcoſae micturitio obſeruatur. *Digitium* (227) eſt vitium, in quo articuli exſiccatio friabilis occulta, digiti marcor et dolor periodicus intenſiſſimus ſunt. *Noma* (251) eſt vlcus carnes integumentaque depaſcens, cicatricem inducens. *Cocyta* (257) eſt animalculum venenatam intra partem receptum, partis ſtigmate dolore furioſo. *Arctura* (261) eſt curvatura vnguis lateralis cutem ſecans, cum inflammatione digiti et vlceratione laterali vnguis. *Bacchia* (270) ſunt vari (i. e. puſtulae glandularum ſebacearum rubrae, diſperſae chronicae) faciei cum nodis maculisque chronicis. *Spinola* (289) eſt ſpina bifida. *Labarium* (309) ſiſtunt dentes in alueolis ſuis vacillantes. *Lagoſtoma* (310) eſt labium leporinum. *Apella* (311) eſt phimoſis ſine inflammatione. *Morphea* eſt macula alba, depreſſa, lata. *Melaſma* (322) macula coeruleſcens in parte tecta cetr. Addita eſt theoria morborum, quae pathologiam et therapiam vniuerſalem breuiſſimam ſiſtit, in qua Cl. Auctor ad corporis in partem medullarem et corticalem diuiſionem ſupra propoſitam reſpicit. Medullaris pars tenuiſſimo ſpiritu corticali nutritur, flagrat vero electrico pulmonibus hauſto. Corticale fluidum, e quo ſolida oriuntur, deſtruitur acidis et putridis. His dum reſiſtit principium ſentiens mouens febris oritur et quidem *critica* ab acescente, *phlogiſtica* a putreſcente, *exanthematica* a viuo contagio. Medicamenta vel ſapida ſunt, quae in corticale vel ſolida, quae in medullare agunt. Cum vero haec omnia fuſius alio loco ab Ill Auctore explicata ſint, pedem hic figimus.

II.

II.

The Hiſtory and preſent ſtate of Electricity with original experiments. By IOSEPH PRISTLEY. L. L. D. F. R. S. Londini printed for I. Dodsley cet. 1767. 4. mai. Alph. 4. pl. 4. Tab. aen. VII.

h. e.

Hiſtoria electricitatis ad noſtra vſque tempora cum nouis experimentis Auctore IOSEPHO PRISTLEY.

Immortaliter de orbe litterario merentur, qui diſciplinarum, inprimis generi humano vtilium, ad vlteriorem veritatum late patentium cognitionem, ſi vel eas ipſae vel earum partes ſummorum virorum induſtria in immenſum excreuerint, ac veritates ad eas pertinentes, per libros omnium fere nationum diſperſae ſint, hiſtoriam condunt. In eiusmodi vero hiſtoria non indices librorum, editionum varietates ac vitae eruditorum recenſendae ſunt, ſed potiſſimum ratio dogmatum habenda ac luculenter exponendum eſt, cui tam felici licuit eſſe, vt prima diſciplinae alicuius elementa ex tenebris in lucem protraxerit: qui poſterorum, veſtigia maiorum perſequendo cum nouis acceſſionibus ditauerint ac earum theorias condiderint, ac tandem accurate notanda ſunt ea, quae extra omne dubium poſita, quae adhuc perficienda reſtent, vt vno quaſi conſpectu totius diſciplinae ſtatus cognoſcatur vna cum iis, quae in ea adhuc vlteriori cultura ac lima indigent, et quae quis perpoliendo ac perficiendo ſcientiam augeat, et aeternam ſibi gloriam pariat. Nemo facile diffitebitur inter philoſophiae partes nullam philoſophia naturali maiora commoda vitae communi, ſcientiis ſuperioribus ac inprimis arti medicae afferre, viri-

umque

umque, quae in ea ad cognoſcenda et admiranda artificia, quibus corporum mundi totalium ac partialium mutationes efficiuntur, effectusque ſtupendi producuntur, explicantur, nullam intimius corporum ſtructuram afficere, noſque aut poſteros noſtros ad interiorem, quam adhuc ignoramus, corporum naturam perducturam eſſe, ac vim electricam, quam Angliae, Germaniae, Italiae, Galliae, Belgii, Ruſſiae, Sueciae, Americae, philoſophi tot tantisque incrementis tam mirifice ſeculo noſtro auxerunt, vt ſi quis omnia, quae de eius inſigniori natura cognita ac detecta ſunt, cognoſcere velit, ei per libros omnium nationum non niſi magnis ſumptibus parandos, vagandum, magnaque cum temporis iactura experimenta noua colligenda ac a repetitis ſeparanda ſint, theoriae eius diuerſae eruendae ac diiudicandae, ac tandem earum applicatio ad explicanda naturae phaenomena ea, in quibus exercitatiſſima ingenia a primis philoſophiae initiis inde vſque ad noſtram aetatem fruſtra deſudarunt, addiſcenda. Itaque nec ſatis praedicari poteſt, Cl. PRIESTLEY, qui in erudito hoc ac vaſto opere initia, gradus, ac progreſſiones, cognitionis huius vis, ſummo ſtudio luculenter expoſuit, nec ſatis dici, quam mirifice eos iuuerit, quibus expedit, noſſe proprietates omnes vis electricae ac artificia ea, quibus ad earum cognitionem peruenitur. Defuerunt quidem varii eruditorum inprimis in Germania degentium labores Viro Cl. qui mari a nobis ſeiungitur, digniſſimi, qui huic operi inſerantur. Ipſam huius vis hiſtoriam a primis initiis uſque ad annum 1744 noſtratium DANIEL GRALATH, Conſul quondam Gedanenſis Tom. I. Ephem. Societ. Gedan. inſertam ita pertractauit, vt omnium applauſum ferret, ipſiusque PRIESTLEY tuliſſet, ſi ab eo lectus fuiſſet, et quis ignorat HAUSENII, geometrae efficacis ac in-

ſti laboris conatus, ſed hi pluresque alii, quos breuitatis cauſſa omittimus, a noſtris facile ſuppleri poterunt, nec minuent praeſtantiam libri, in quo ſi magnum ingenium eluceat, et inſigni diligentia ſummoque labore omnes eae, quae veri nominis hiſtoria litteraria requirit, partes mirifice executae, in quo, noſtra quidem ſententia, egregie ſatisfactum eſt bene, hanc materiam intelligentium iudicio.

Haec vero eminentis huius libri nondum vbiuis noti forma eſt. Septem abſoluitur partibus quarum p. 1. prima periodos decem continet. A prima vſque ad octauam recenſentur experimenta et veritates inde derivatae ab anno ſeculi praeteriti ſeptuageſimo ad annum 1746, quo Franckliniana publici iuris facta ſunt. In his periodis, breuiter in anteceſſum commemoratis, quae THALETI Mileſio 600 an. a. c. n. THEOPHRASTO et PLINIO innotuerunt de electricitate, experimenta WILHELMI GILBERTI, BOYLEI, OTTONIS GVERICKII, WHELERI ac inprimis STEPHANI GREY, cui diligenti experimentatori omnia, quae vſque ad FRANCKLINVM noſtra aetate detecta ſunt, cognita fuiſſe, Auctor Cl. copioſe docet, DV FAYE, DESAGVLIERII, BOSII, WINCKLERI, nuperrime magno huius ſcientiae damno defuncti, GORDONI, LVDOLPHI primi, qui ſcintillis electricis FROBENII ſpiritum incendit, WATSONII, DV TOVR, WAITZ Viri Cll. inſertis lectu digniſſimis obſeruationibus copioſe exponuntur.

Periodum octauam quinque ſectionibus abſolutam admodum memorabilem efficit in Sect. I, recen- p. 81. ſio experimenti, lagenae Leidenſis ex nonnullorum ſententia a CVNEO, ex aliorum verisimilius ab ipſo MVSCHENBROECKIO primum inuenti, adiunctis obſeruationibus, quas illud repetendo

WINCK-

WINCLERVS, WATSONVS, WILSONVS, CANTONVS, NOLLETVS. Viri Cll. fecerunt Sect. II. inuentae a philoſophis Gallicis, Anglicanis, Germanicis ac adhibitae luculenter deſcribuntur methodi, metiendi diſtantias, ad quas concurſiones electricae perduci poſſint, ac celeritates, quibus ad eas diſtantias feruntur. Sect. III. continet inuenta Miſcellanea WATSONI detegentis primum negativam ac poſitiuam electricitatem: MONNIERII, inuenientis communicari electricitatem corporibus homogeneis non in maſſae, ſed in ratione ſuperficierum. NOLLETI, obſeruantis electricitatem, ſe inprimis exſerentem in partibus corporum acuminatis, HALLABERTII aliorumque Cll. Virorum Sect. IV. recenſentur experimenta electrica cum animalibus aliisque corporibus organisque praedita, aliaque his connexa. Sect. V. examinantur erronea experimenta, quibus PIVATI primus, poſt eum VERATI, BIANCHINI AC WINCKLERVS indocti aſſerebant, odoriferas eſſentias ac medicamenta, vaſis vitreis occluſa ac vi electrica agitata penetrare per vitra in conductores, ex his in hominum corpora, qui eos contingerent, ac proinde fieri poſſe, vt ea ratione medicamenta in abditas humani corporis partes transferantur: eiuſdem commodis reputantur beatificationes BOSII ac ſententia eiuſdem; qua venditabat, ope electricitatis inuerti polos magnetis eosque iterum per eam in priſtinum reſtitui poſſe ſtatum.

Periodo nona noua electricitatis epocha conſtituitur, in qua ſectione I. illuſtrantur experimenta Cl. FRANCKLINI euincentia negatiuam et poſitiuam electricitatem, ſectione II. experimenta comprobantia cognationem, ſimilitudinem, ac identitatem vis electricae cum materia, fulgura producente, ſectione III. experimenta miſcellanea, inuentiones-

que

que concernentes athmoſphaeras electricas, earumque immobilitatem a viribus externis aliorumque vt KINNERSLEY, experimenta recenſentur.

Periodus decima omnium longiſſima quindecim ſectionibus conſtat ac exponit experimenta, nouaque inuenta virorum in variis gentibus illuſtrium poſt publicatas FRANCKLINI inuentiones vſque 1766 Sect. I. traditur hiſtoria eorum, quae in inſtrumentis ac apparatu machinarum, quibus electricitas excitatur, communicatur corporibus, ac auguetur, perfectiora ac commodiora reddita, qua in re WINCKLERI, CANTONI, WILKII, WINDELINI, AMMERSINI, WILSONI, NOLLETI, BOSII, BOVLANGERII Vir. Cll. diligentia ac ſagacitas eminuiſſe fertur. Sect. II. III. exhibet CANTONI experimenta electricitatem aeris BECCARIAE eiuſdem et aquae, metallorum, vaporum, aquae bullientis, IOHAN. DE LIGNA glaciei electricitatem comprobantia. Sect. IV. DELAVALII experimenta deſcribuntur, comprobandae negatiuae et poſitiuae electricitatis cauſa cum cryſtallo Islandica inſtituta vna cum controuerſia eius exinde cum CANTONO geſta iudicioque, de ea BERGMANNI. Sect. V. VI. inſignia et amoena SYMMERI experimenta ac ex iis conſectaria pro electricitate ex duobus fluidis ſimul exiſtentibus et in oppoſitum agentibus conſtante theoriae Franckliniana aduerſa enarrantur, quae FRANCISCVS DE CYGNA repetiit atque ex theoria Franckliniana ita explicauit, vt ſimul faſſus ſit, nondum cognita eſſe experimenta ſibi, quae negatiuam et poſitiuam electricitatem extra omnem ponant dubitationem. Sectio VII. VIII. hiſtoria lagenae Leidenſis a WILKIO, AEPINO, RICHMANNO, BECCARIA, CANTONO, KINNERSLEY, CAVENDISH, WINCKLERO vlterius excultae ac varia modificatae ratione. Sect. IX. de electricitate turmalini agit. Sect. X-XI. experimenta deſcribuntur

p. 193.
p. 195.
p. 204.
p. 237.
p. 246.
p. 287.
p. 314.

p. 327. tur DALIBARDII, DELORII, MANFREDI, CANTONI DE ROMAS et inprimis BECCARIAE admiranda, ac prout experimenta multorum conſtat fatumque RICHMANNI omnium euidentiſſime docuit, admodum periculoſa eo fine inſtituta, vt identitas electricitatis cum fulgure comproba-
p. 373. tur. Sect. XII. deſcribitur ratio nonnullorum Auctorum explicandi meteora coeleſtia ac terreſtria ex electricitate, vt ſtellas cadentes, turbines terreſtres ac maritimos, terrae motus, ignes fatuos et quae
p. 398. ſunt reliqua. Sect. XIII. continet obſeruationes de conductoribus, ac machinis ad auertendos ab aedi-
p. 408. ficiis fulguris effectus adhibitis. Sect. XIV. agit de vſu electricitatis in curandis morbis, vbi HALLERI, PRINGLII, WILSONI, SAVVAGII, BOHATSCHII, TESSII, MARTII, LOVETII aliorumque Vir. Cll. ratio medendi morbis per elec-
p. 423. tricitatem recenſentur. Sect. XV. miſcellanea occurrunt experimenta, quae potiſſimum concernunt vitri permeabilitatem ac cognationem vis electricae
p. 433. et magneticae. Secunda operis huius pars ſeriem exponit propoſitionum, quae generales electricitatis affectiones ac proprietates exhibent, ac ex ſuperiori-
p. 441. bus experimentis deducuntur. III. Parte omni partium ſtudio ſepoſito exponuntur Sect. I. Theoria
p. 479. electricitatis Franckliniana. II. Nolletiana. III. Euleriana et IV. candide deſiderata in theoriis his deteguntur, vna cum conſiliis, quibus eae vlterius ex-
p. 508. coli ac perfici poſſint. Parte Vta theoria machinarum electricarum ratioque eas commodiſſime conſtruendi traditur vna cum deſcriptione variorum ad eas requiſitorum, apparatuum quae ſingula
p. 535. nitidis figuris, iisque accuratis illuſtrantur. Parte VII. regulae practicae iis praeſcribuntur, qui electrica experimenta propria induſtria inſtituere incipiunt, vt iis obſeruatis ab omni periculo ſint liberi, et ne

ſine

ſine propoſito fine in maxime ſeria ac momenti magni re, circumforaneorum more, pueriliter ludant, tempusque ac impenſas inutiliter friuole perdant. Parte VII. prolixo catalogo conſignata exhibentur omnium maxime iucunda, ad propoſitiones electricam vim declarandas, eliciendas et ad intimiorem huius nobiliſſimae vis naturam cogneſcendam maxime accommodata experimenta. p. 547.

Parte VIII. noua ſequuntur experimenta electrica, ab Auctore a. 1766 inſtituta, et ſumma cum integritate, adductis vbicunque apparatu et ſubſidiis enarrata. Aliorum experimenta ſaepe iterauit, tanto quidem ſtudio, vt quodlibet noui quidquam, ſiue in facto ſiue in methodo, afferat. Quo ipſo effectum eſt, vt eius tentamina aut ab aliorum differrent, aut eandem propoſitionem generalem nouis augmentis locupletarent. Cl. Auctor per eam occaſionem dolet, quod electricitatis amatores Angli, rerum alibi in arte hac geſtarum, ignari, aliorum inuenta repetant, aut aliter ac primi eorundem Auctores inſtituant.

Sectione I. electricitatem non ſolum non excitari, ſed propemodum euaneſcere in tubo aut globo, cui aer ineſt condenſatus, experimentis corroborat. Cum autem inter operandum caementi fruſtulum intus ſecerneretur, quod comminutum, globi ſuperficiem internam cuticula obduceret, vis electrica ſeſe exſerere in globo, ſemel atque iterum iteratis experimentis, cepit. p. 581.

Sectione II. euincitur, torrentem fluidi electrici egredi ex corporibus acuminatis, ſiue poſitive ſiue negatiue fuerint electrica. Flamma enim inter duas cuſpides fili metallici diuerſimode collocata ab vtraque parte flatum electricum ſuſtinuit, eumque valde ſenſibilem, maiorem tamen ab cuſpide poſitive electrica. p. 591.

ſtrica. Similem effectum etiam in tritonibus papyraceis manifeſtum fecit, apici fili metallici prope admotis. Porro aerem humidum, foetentem et mephiticum, aerem item ex carbonibus ortum, electricitatem in ſe recipere et aliunde transferre, per phialam vi electrica imbutam et ſub campana vitrea, in qua aer pulmonum et carbonum continebatur, collocatam.

p. 598. Sectione III. manifeſte docet, concluſione inde elicita, corpora nulla non metallica, vt quae optimi conductores habentur, ex ferra vitreſcente, ſiue ex phlogiſto quodam conſtare, et ſua natura nihil, praeterquam aerem huiusmodi, in ſtatu fixo, eſſe mephiticum. Poſtea eandem electricitatis diſperſionem ſolo etiam aere humido, ſub campana collecto, obtinerì Auctor vidit; carbonibus quidem foſſilibus ad
p. 605. hunc effectum producendum aptiſſimis. Noua certe ratione in methodum quantitatem diſperſae electricitatis menſurandi, conſequenter aptitudinem conductoris cuiusdam diiudicandi, incidit. Etenim quo magis idoneus eſt conductor, eo parcior in phiala, aut in corpore electrico, facta exploſione, electricitas ſupereſt; et quo minus, eo copioſior. Hinc ex reſiduo electricitatis poſt elicitam ſcintillam praeſtantia conductoris aeſtimari poterit.

p. 609. Idem argumentum Cl. Auctor ſectione IV. perſequitur corporibus, quibus natura et proprietas electricitatem recipiendi et aliorſum deferendi ineſt, diverſimode exploratis. Inter eiusmodi corpora glaciem reponit, quam vi electrica prorſus perviam deprehendit; niuem etiam, quae tamen propter tenuem partium contactum electricitatem minus commode transfert. Olea eandem parum recipiunt. Obiter experientiam allegat, qua glaciem ex oleo, ſiue oleum congelatum, ſpecifice grauius ipſo oleo fluido, contra naturam glaciei aqueae, expertus eſt.

Hoc

Hoc loco catalogum exhibet rerum mineralium, con- p. 617.
ductoris naturam habentium, quem experimentis pluribus confecit. Chemicam hanc posses electricitatem appellare. In hunc censum veniunt salia, communia aeque ac metallica, et lapides diuersi.

In hac, et in V. sectione multa continentur, p. 621.
prorsus noua et notatu dignissima. Nemo enim, quod quidem scimus, differentiam vitri recens fusi atque veteris, quoad electricitatis productionem, tam accurate inquisiuit. Experientia quidem alios docuerat, vitrum Anglicum, sub nomine *Flintglass* cognitum, propter metallicam admixtionem, suscitandae electricitati minus idoneum esse; sed potius ipsam electricitatem cum aliis corporibus mirifice communicare. Idem vero Auctor noster tentaminibus suis, additisque rationibus, ad liquidum hoc loco perduxit.

Sectionis VI. argumentum circa theoriam electri- p. 635.
citatis Auctore BECCARIA conditam, versatur; cui quidem in eo, quod leuia corpora vim electricam, qua satis imbuta sunt, ad loca, electricitatis expertia cum insigni dispersione quaquauersum facta, propagent, Noster omnino assentitur.

Sectione VII. Auctor varia electricitatis, adhibi- p. 642.
tis ampullis tabulisque vitreis inauratis, nunc intensae, nunc dispersae et explosae, experimenta suggerit. Nempe per electricitatem satis valide coagmentatam ampullarum vna alteraue interdum fracta est, quo facto ex ampullis inter se filo metallico iunctis electrica vis statim educta et quasi exhausta est: Obseruauit quoque Auctor, ampullas et tabulas vitreas, electricitate oneratas, sua sponte exoneratas esse, et rimas feciſſe tenuissimas materiae electricae peruias, nudo oculo vix visibiles, quibus tamen totius spes experimenti frustrata est. Crassiores tabulas vitreas

recipiendae electricitati minus aptas, optimas autem duarum linearum anglicarum craſſitie deprehendit.

p. 653. Octaua ſectione electricae explosionis in animalibus, tam minoribus, quam maioribus, memorantur effectus; in quibus attentionem ille meretur, quo canis validiſſima ſcintilla ex ſuperficie vitri inaurati 6½ pedum quadratorum elicita in fronte percuſſus, ſtatim immotus et mortuo ſimilis concidit. Sequebantur mox conuulſiones per integrum corpus, grauior et ſonantior reſpiratio, multum ſaliuae, oculi lacrymantes et tandem plenaria coecitas. Quam poſtremam cum occiſo cane examinaret, tunicam corneam albidam, opacam, cartilagineam et notabiliter craſſam inuenit, humoribus oculi alias ſanis et perfecte transparentibus. Cl. Auctor, antequam effectum hunc electricae percuſſionis in cane obſeruaret, animalia fulgure occoecata amauroſi affecta credidit, ſyſtemate eorum nerueo igni explosione penitus tacto et corrupto. Sed hic caſus ipſum docuit percuſſione electrica in oculorum confiniis facta manifeſtam contingere inflammationem, quae tandem albuginem nullo curandam remedio producat. Ranas nec fortiſſimo quidem ictu electrico enecari comperit.

p. 659. Maculas circulares in metallorum ſuperficie ex ſcintillis electricis ortas Sectione IX. Auctor diſquirit, et oſtendit, metalla eo in loco aut fuſa aut fuſione proxima fuiſſe et diuerſas bullulas cauitatesque contraxiſſe. Secundum has cauitates microſcopii ope ſollicite exploratas metalla, pro faciliore fuſione, ſi ab profundiſſima cauitate incipias, ordine ſic collocat: ſtannum, plumbum, aurichalcum, aurum, chalybs, ferrum, cuprum, argentum. Simili huius ſcintillae actione pars fili metallici $\frac{1}{2}$ lineae craſſi, 6 linearum longitudine fuſa fuit.

Sectio

Sectio X. experimenta continet singularia et nova electricae explosionis, mediantibus metallicis quibusdam substantiis, inprimis catena aurichalcea, cuius portio 2 pedes et 4 pollices longa quarta pollicis parte brevior facta est, postquam electrica vis fortissima concussione per illam transiit. Sect. XI. varia corpora contemplatur, quorum superficies electricitatem propagat, ipsa eorum massa eandem intus non suscipiente. Sequens XII. experimenta in tourmalino capta, sed maximam partem per tentamina Aepini V. cl. iamiam cognita; et vltima Sectio XIII. miscellas proponit obseruationes, quae partim diuersa electricae phaenomena scintillae, partim substantias, ex quibus elicitur electricitas, spectant, notatu dignissimas, sed breuitatis caussa non vlterius commemorandas. p. 672 p. 697 p. 714

III.

Collezione istorica di casi chirurgici metodicamente disposti e con noteo illustrati du GIUSEPPE CAVALLINI di Cevoli, alunno nel R. Spedale di S. M. nuova di Firenze. Tomo I. parte I. sopra i tumori inflammatori d' ispezione chirurgica. In Firenze 1762. appresso Andrea Bonducci. 4. pagg. 248. absque dedicatione. Parte II. de i tumori cronici d' ispezione chirurgica. Ibid. 1762. pagg. 192.

i. e.

Collectio historica casuum chirurgicorum methodice dispositorum annotationibusque illustratorum, Auctore IOSEPHO CAVALLINI Cepolensi cet. Tom. I. pars I. tumores inflammatorios, Pars II. chronicos, quantum ad chirurgiam spectant, complexa.

Laudem ſemper merentur conanima eorum, qui noſocomiis publicis praefecti, cum vberior copia ipſis ſuppetat, aegros diuerſiſſimis morbis affectos tractandi, laborum ſuorum rationem publico reddere ſatagunt. Quare et praeſens inſtitutum non poſſumus non et probare et commendare, quo Cl. Auctor incepit morbos chirurgicos, qui ipſi in noſocomio, quod glorioſiſſimus olim imperator FRANCISCUS Florentiae exſtruendum curauit, obuenerunt, pertractare, quamquam hinc inde etiam obſeruationes in aegrotis captas inſperſit, qui in publico hoc aedificio non fuerunt. Ordinem capitum ſummorum in primo hoc tomo, qui iam noſtris in manibus eſt, ſeruatum ipſa ex fronte facile perſpicimus: vlteriorem vero diuiſionem ex curatiori recenſione nunc exhibenda declarabimus.

Praefatio de effectibus ſtagnationis fluidorum in corpore humano agit, et exponit originem inflammationis variarumque eius ſpecierum, eiusque exitum in reſolutionem, ſuppurationem, gangraenam cariem cetr. Pars prima continet obſeruationes 148, quibus animaduerſiones nonnunquam interſperſae ſunt, et in duas ſectiones diſpeſcitur, quarum prima eryſipelas, altera phlegmonem ſiſtit. In priori de eryſipelate ſimplici, poſteaque de tranſitu eius in varias herpetis ſpecies aut coniunctione cum iiſdem agitur: poſtmodum digreſſio fit, quam hoc quidem loco non quaeſiuiſſemus, ad diductionem articulorum et damna inde oriunda. Tum reditur ad eryſipelas phlegmonoſum, ſeu reſolutione ſeu ſuppuratione alioue modo iudicatum, vbi tamen obſſ. 32-35. magis videntur pertinere ad collectionem puris in locis profundioribus, quam ad eryſipelas proprie ſic dictum. Ita etiam ordo methodicus nonnihil turbatus nobis viſus eſt, quum in obſ. 37. eryſipelas phlegmonoſum reſolutione et euacuatione

tione critica per vrinam curatum, et huic ob ſimilem metaſtaſin obſ. 38. ſubiunctam hiſtoriam morbi in femina inueniremus, quae poſt praegreſſam diarrhoeam pertinaciorem, dolorem et tenſionem in hypogaſtrio ſiniſtro perſenſit; et materiae purulentae ex genitalibus effluxu ſanata fuit. Obſ. 39-43. itidem magis ad abſceſſus profundius delitescentes, quam ad ipſum eryſipelas referri debere nobis viſae ſunt. Sequuntur obſeruationes de pure aut ſuper eranio aut ſub eodem collecto, de eryſipelate phlegmonoſo, cariem oſſium, epinyctidem ſeu leuiorem gangraenae gradum, gangraenam ipſam et ſphacelum, ſed partium tantum molliorum (obſſ. 50-66.) poſt ſe trahente, vbi tamen in poſteriore caſu in vno alteroue exemplo non videtur praeceſſiſſe eryſipelas, ſed maior omnino inflammatio. Sequentes obſeruationes tranſitum eryſipelatis phlegmonoſi in oſſium gangraenam ſeu cariem ſiccam ſiſtunt, quae huius quidem ſectionis finem faciunt.

In altera, quae de phlegmones ſeu inflammationis variis generibus exponit, tractatus de furunculo, paronychia, angina, inflammationibus glandularum maxillarium et colli, ſpermatocele, bubonibus inflammatis, tuberculis haemorrhoidalibus inflammatis, aliiſque huius cenſus, tandem de ſpina ventoſa, de carbunculis et tranſitu inflammationis in gangraenam et ſphacelum.

Exhibita nunc ſumma totius partis primae, licebit quaedam prae reliquis notatu digna, excerpere, quo ſpecimen doctrinae noſtris Lectoribus proponamus.

In eryſipelate ſimplici nocent pinguia topica, quibus veteres adeo vtebantur, quibus tamen e contrario tempeſtiuus pro ratione ſubiecti vel ſedis morbi venae ſectionis vſus debetur, quem multi noſtra p. 34.

p. 43. aetate nimis negligunt. Herpetem tuberculoſum non a cauſſa venerea ſolum proficiſci, allatum ab
p. 50. Auctore noſtro exemplum contra Cl. PATVNA probat. In diductione articulorum balnea frigida, a veteribus aeque ac recentiorum quibuſdam ſummis laudibus euecta, nonniſi in principio conducunt; humoribus enim effuſis, iam coagulatis, reſolutione opus eſt, quae maxime balneis tepidis attingitur. Ex vario exitu erifipelatis ſuppuratione terminati col-
p. 63. ligitur, ſatius eſſe, ſi inflammatio adhuc adſit, eam naturae viribus relinquere, quam, inciſione facta, pus euocare. Obſ. 36. caſum vtique rariorem ſiſtit fe-
p. 70. minae, cui poſt puerperium tumor in abdomine enatus eſt cum grauiſſimis ſymptomatibus, qui ſponte ruptus immenſam copiam aquae virideſcentis, ad librarum 35 pondus computatam emiſit, quam intra muſculos abdominales et peritonaeum haeſiſſe verofimile eſt; ſucceſſit poſtea cum diuerſiſſimis aliis ſymptomatibus inſignis ſuppuratio in loco eroſo, et aegra poſt ſex demum menſium ſpatium conualuit.
p. 97. De bono effectu paracenteſis thoracis Auctor noſter dubitat, et noxas ab ingreſſu aeris maximas timet; putat etiam, Auctores felicem eius effectum praedicantes empyema credidiſſe, quod ſolummodo tumor
p. 105. inter coſtas et pleuram collectus fuerit. Pariter etiam interpretes HIPPOCRATIS perſtringit, qui aph. 10. libr. 6. ita explicant, vt pus ſub cranio collectum per cauitatem narium, aurium cet. euacuari putent, cum tamen verofimilius ſit, illud tantum pus innui, quod in ſinubus
p. 128. frontalibus, maxillaribus cet. haereat. Peculiaris eſt caſus in obſ. 60. enarratus, vbi quidam adeo vehementi inflammatione penis et ſcroti correptus eſt, vt moles vtriuſque triplo maior naturali eſſet; gangraena vtrimque oborta nonniſi linteis carptis tenuioribus ſiccis applicatis eo deducta res eſt, vt emortui teſticuli decidèrent et gangraena ſiſteretur. Generatim

neratim in triſti gangraenae ſphacelique caſu, ſi ma- p. 139.
la iſta partes tantum molles tangunt, totum po-
tius negotium naturae committi, quam morbo
amputatione membri limites poni Auctor noſter
vult, potiſſimum ratiociniis Cl. HANNONI innixus.
In gangraena oſſium ſeu care ficca vſum pulueris eu-
phorbii, perforationem et trepanationem, et ſi his
omnibus morbus pertinax non cedat, vt in cylindri-
eis ſaepe oſſibus accidit, tum demum amputationem
praecipit.

Progreditur nunc ad ſectionem alteram, quae p. 147.
inflammationis ſiue phlegmones varios gradus exhi-
bet. Dignum eſt notatu, auctumno anni 1761 plu-
res inflammatione glandularum maxillarium et colli
tamquam morbo epidemico quaſi affectos fuiſſe, qui p. 167.
in maribus ſaepe inflammationem teſticulorum, in
feminis mammarum coniunctam habuit. Cauſſam cur
ſuppreſſis menſtruis adeo facile mammarum inflam-
matio ſuperueniat, in harum ſtructura et extraordi-
naria circa eaſdem pinguedinis copia praecipue po- p. 197.
nit Noſter, quibus fiat, vt mammae facilius, quam re-
liquae partes corporis ſuperabundantes humores, at
ipſa iam abundantia et recluſo exitu vitiates, ſuſci-
piant. In diſquirenda cauſſa commercii, quod eſt in-
ter inflammatas glandulas inguinales et gonorrhoeam
retropreſſam ex analogia putat, plurimum tribuendum p. 210.
eſſe reſorptioni humoris infecti, qui in vrethra, pro-
ſtata adiacentibusue partibus ſtagnauerit, ope vaſo-
rum lymphaticorum ad glandulas iſtas tendentium
praeſtitae. Obſ. 136. fiſtit hiſtoriam feminae, fe-
tum clandeſtinum variis violentiis externis abdomini p. 233.
illatis ſanguiniſque miſſionibus enecare conatae,
quibus tamen omnibus incaſſum tentatis, iuſto tem-
pore fauſte peperit, ſed poſtmodum, inflammatione
in hypochondrio dextro oborta, correpta eſt. Secto
cadauere, apparuere inteſtina, gangraena tacta, in mira

puris quantitate natantia, cuius librae 20 collectae fuerunt, et contextus cellulosus ad spinam dorsi, basin hepatis, variaque viscera abdominis suppuratione absumtus.

Pars secunda incipit ab obseruatione 149. et finitur obseruatione 276, Priores septem sistunt tumores spongiosos cum abscessibus chronicis, omnes funesti euentus; in plerisque ossa simul carie tacta fuerunt. Sequuntur tumores emphysematici, postmodum tumores ad articulationes, vbi praecipue
p. 22. morbus marchionis L. A. DEGLI ALBIZZI prolixissime descriptus est, ad quem etiam tabula in calce huius partis subiuncta pertinet, quae quotidianam copiam puris excreti, alimentorum et potulentorum assumtorum euacuationis per vrinam, aluum insensibilemque transpirationem exhibet. Recensentur deinde tumores polyposi, pinguedinosi, carnosi, scirrhosi cum spurii seu benigni tum veri seu maligni, cystici, tumores ossium seu gummata et exostoses, porro aneurysmata, herniae, oedemata, ac tandem contusiones ceu tumores sanguinei.

p. 50. Tumorem pinguedinosum super clauiculam sinistram, ad acromium vsque sese extendentem et magnam deltoidis musculi partem obtegentem, felici successu Auctor noster abstulit, qui libras octo cum semisse pondere aequauit. Vidit etiam alium chirurgum sustulisse tumorem, totum genu dextrum occu-
p. 51. pantem, musculisque ipsis insidentem. Sarcocele
p. 53. adeo iam ingraueſcens, vt de castratione cogitaretur, cessit tamen denique vsu cataplasmatis ex farina fabarum et stillicidiis aquae frigidae fluuiatilis. Cicutae
p. 83. internus aeque ac externus vsus in scirrho, vt et so-
p. 80. lani internus et externus et phytolaccae externus vsus in cancro effectu omni prorsus caruerunt. Rara est
p. 105. obseruatio 218. referens feminam tumorem in hypogastrio

pogaſtrio ſenſiſſe, qui cum, adhibitis emollientibus, fluctuationis indicia praeberet, apertus eſt, ſed paucas tantum guttas ſanguinis cum materia oleoſa in ſubſtantia albumini ouorum ſimili natante emiſit; ſuppuratione increſcente et viribus aegrae fractis, ſuperuenit tympanites, qui vero vna cum ſuppuratione euanuit, ſola protuberantia in hypogaſtrio dextro ſuperſtite relicta. Confecta demum aegra, cadauer inciſum eſt, vbi praecipue inuenerunt ſub muſculis abdominalibus penitus fere gangraena conſumtis in regione iliaca, prope vmbilicalem, globum ex capillis mediocris longitudinis convolutum, compactum inter ſe ope humoris glutinoſi, et ſubiectum ei denſum ſtratum materiae ſebaceae admodum pinguis, quae omnia coniunctim figuram et magnitudinem fructus maioris limonii referebant; porro ſub criſta oſſis ilei dextri os nucis inglandis magnitudine, multis et tortuoſis foraminibus pertuſum, abſque perioſtio, libere haerens; ſub eadem criſta in latere ſiniſtro aliud os cylindricae formae et cartilagineae ſubſtantiae, 5 pollices longum altero extremo ipſi criſtae inſidens, altero in materia ſcabra haerens; in hypochondrio dextro intra muſculos et peritonaeum materiam pultiformem, et in ſiniſtro eodem in loco argillaceam, ſingulam peculiari folliculo incluſam, qui inter ſe communicabant, in cauum abdominis autem non hiabant. Sententia MONROI et HEISTERI, poſſe oriri aneuryſma, ſi a quacumque cauſſa tunica celluloſa arterias inueſtiens auferatur, ideo non videtur probabilis Auctori noſtro, quod hoc ſaepius in inflammationibus accedit, nullo tamen ſubſequente damno, quodque adeo vaſa per cauitates decurrentia, pauciſſima quippe celluloſa donatae, aneuryſmati prae reliquis ſubiecta forent. p. 130.

Rarus eſt caſus proſperae curationis enteroepiplooceles incarceratae, quae cum imbecillitas aegri p. 142.

meden-

medentes ab operatione deterreret, ſponte rupta eſt, gangraena inſigni partium affectarum ſubſequuta, glutinatis tamen rite labiis, vulnus optime coaluit. Enteromphalos, in corpore viuo feminae non ſatis declarandus, poſt ſectionem demum cadaueris patuit, vbi inuentus eſt ſaccus hernioſus in regione vmbilicali ſiniſtra prope vmbilicum ipſum intra muſculos abdominales; ſuper portione peritonaei relaxata iacuit ſtratum celluloſum mirum in modum induratum; inteſtini ieiuni pars in ſacco contenta diametrum naturali coli aequalem habuit, colon e contrario tunicis ipſius ſcirrhoſis redditis anguſtiſſimum et totius canalis inteſtinorum gangraenoſi coloris
p. 151. fuit. In herniotomia probe reſpiciendum eſt, ne ſacco hernioſo inaequali et aſpero viſo confundantur partes inteſtini cum nodis pinguedinis, qui in ſubſtantia omenti haerent. Obſ. 263. Auctorem noſtrum
p. 166. docuit, rumpi poſſe peritonaeum ſine praegreſſa vehementiori violentia externa aut gangraena eiuſdem, quandoquidem illud in ſectione cadaueris praeter diſ-
p. 163. ruptionem non alteratum deprehendit.

IV.

IV.

BALTHASARIS LUDOVICI TRALLES de methodo medendi SYDENHAMI, TISSOTI aliorumque illuſtrium virorum in curatione variolarum peſſimae indolis, infeliciter licet, dextre tamen adhibita, epiſtola apologetica ad Ill. virum ANTONIUM DE HAEN. Vratislav. 1764. 8. pagg. 55.

Cl. TRALLES quia ab Ill. DE HAEN erat vituperatus medendi ſponſae ſuae methodi, nuper propoſitae *) cauſſa, hic ſeſe defendit ex ipſo SYDENHAMO, ſecundum quem Noſter non curaſſe videtur Ill. DE HAEN, hanc ſuam methodum tuetur atque confirmat. Demonſtrat nimirum Cl. Auctor, SYDENHAMUM aliosque medicos lubenter largiri, quamdam eſſe variolarum ſpeciem ſumme periculoſam, ſaepeque incurabilem, nec quidquam erroris ſeſe commiſiſſe in cura amatae, nec Sydenhamiana conſilia ſpreuiſſe, praeter opii et venae ſectionis uſum, quem iure Noſter cum TISSOTO in his variolis reiicit.

Cum enim opium non, vt vult SYDENHAMUS, ſanguinis ebullitionem et calorem minuat, ſed circulationem humorum intendat, ſanguinem rarefaciat, calorem augeat, omniaque mala in morbis, quae a circuli celeritate humorum, rarefactione augmentoque caloris pendent, reddat peiora, iure opii vſum a ſe eſſe neglectum in amatae morbo arbitratur Noſter.

V.

*) De methodo medendi variolas hactenus cognita ſaepe inſufficiente magno pro inoculatione argumento diſſ. epiſtol. ad Cl. IO. CASPAR. SULZERUM exarata a B. L. TRALLES. Vratislav. 1761. 8. vid. Comment. noſtr. Vol. X, p. 508.

V.

ANTONII DE HAEN ad Ill. BALTHAS. LUDOV. TRALLES epiſtolam apologeticam reſponſio, cuius pars prior circa variolarum inoculationem verſatur, altera ſanguinis miſſionem et opium in ſtadio variolarum ſuppuratorio laudat. Vienn. Auſtr. 1764. 8. pagg. 87.

Adornauit Ill. DE HAEN hanc reſponſionem ita, vt, quae eum ab amplectenda variolarum inſitione detinerent, primum enarraret. Hanc omnem
p. 7. rem abſoluit Noſter decem quaeſtionibus. Ac prima quidem eſt: „an dentur variolae naturales pri-
p. 22. „mae et ſecundae?„ id quod affirmatur, ſecunda: „danturne variolae naturales poſt inſitiuas?„ et hic
p. 24. exempla commemorantur. Tertia: „num ab inſi„tione fruſtra inſtituta nemo vnquam detrimenti „quid capiat?„ atque inoculationem eſſe noxiam af-
p. 26. firmatur. Quaeſtio quarta: „an eiusmodi fruſtra„nea inoculatio potiſſimumque ſi, iterato fruſtrata, ſe„curitatem homini praeſtet, fore, vt variolas via na„turali nunquam contrahat? Non fieri hoc, exemplo
p. 35. „probatur.„ Quinta: „Num inoculatae variolae ſe„brim eamque maxime ſuppuratoriam ignorent „paſſimque et diſcretae ſint et benignae?„ Omni periculo implantatas variolas non vacare, GAVBIO
p. 43. aſſentiente, affirmatur. Sexta: „nulline ab inſitio-
p. 48. „ne moriantur„ negatur. Septima: „an inoculatas „variolas paſſi nulla vnquam incommoda morboſue „alios inde ſibi contrahant?„ relinquuntur varia in-
p. 50. commoda poſt inoculationem. Octaua: „numquid „non propagent inoculatae contagium?„ propagant.
p. 55. Nona: „certine ſumus fore, vt inoculatis variolas „nunc expectantibus, nec praecedat, nec accedat

con

„contagium naturalium? ſin minus; an a duplicata „cauſſa variolae non atrociores exſpectandae?„ Fieri hoc poſſe arbitratur Noſter. In quaeſtione vltima proponitur: „an ſaltem inoculatio cuſtos tuta ve- p. 56.
nuſtatis?„

Ila parte altera huius epiſtolae continetur breue p. 62.
reſponſum ad criminationem, et miſſio ſanguinis et opium in febre variolarum ſuppuratoria laudantur. Quamquam variolas tam naturales, quam inſitiuas, quae penitus ſuperent artem, eſſe largitur Noſter, tamen venaeſectione et opio et ſuppurantibus variolis poſſe iuuari exemplis nonnullis, angina varioloſa laborantibus, comprobat, inque angina vapores acidos, qui inhalantur ab aegro, vtiles iudicat.

VI.

Vexatiſſimum noſtra aetate de inſitione variolarum vel admittenda vel repudianda argumentum occaſione quaeſtionum ab Ill. ANTONIO DE HAEN ſibi propoſitarum abiecto omni partium ſtudio curatius euolutum et expenſum a BALTH. LUDOVIC. TRALLES. Additur breuis diſquiſitio de vſu miſſionis ſanguinis et opii in ſecunda variolarum febre. Vratislauiae 1765. 8. mai. pagg. 304.

Antequam Cl. TRALLES ad quaeſtiones decem a Cl. HAENIO propoſitas *) reſpondeat, pauca de criminatione et variolarum inoculatione nec non variolis in vniuerſum praemittit, duasque alias queſtiones mouet. Quarum prima eſt: an certo certius quiuis p. 48.
homo variolis ferius, ocyus afficiatur et altera iam inoculatio illis adfricet variolas, qui ſine ea ipſas haud

*) vid. ſupra p. 46.

haud paſſi fuiſſent. Eſſe, qui variolas nunquam paſſi
p. 35. ſint, cognouit Noſter, ſed non adeo multos, et inter centum et viginti vnum arbitratur. Nunquam autem prorſus ſecuros eſſe poſſe eiusmodi homines, demonſtrat exemplis, ſummo ſenio variolis laborantibus. Quamquam non auſus eſt Noſter affirmare, inoculationem paſſos nunquam variolis iterum corripi, tamen experientia triginta et duos per annos edoctus, ſe neminem, qui variolas veras bis habuiſſet, vidiſſe aſſerit. Eſſe porro homines quoſdam, quibus adminiſtrata inſitio nullas proliciat variolas, conſtat. Cum MEADIO ſuadet puris ſelectum, omnino que laudat praeparationem inſitioni praemittendam. Vidit grauiſſima ſymptomata atque foueas a variolis ſpuriis copioſis, quam a veris benigniſſimis paucis.

p. 94. De varia praeparatione ad inoculationem agitur ab Cl. Auctore, eiuſque commoda atque incommoda narrantur atque neceſſitas, cautionibus additis, eius declaratur.

p. 205. Conſentit Cl. Auctor itaque cum Cl. HAENIO, eſſe variolas naturales ſecundas, naturalesque poſt inſitiuas; inſitionem fruſtra inſtitutam ſequi interdum mala, nec a naturalibus liberare; inſitiuas variolas non ſemper arcere febrem ſecundam, quoſdam ab inſitione mori, eamque incommoda quoque interdum relinquere; inoculatas variolas, niſi proſpiciatur, poſſe contagium propagare; duplexque contagium eſſe poſſe et periculoſius ſimplici, venuſtati tandem inſitionem non certo proſpicere.

p. 247. In parte altera de vaporibus acidis in angina varioloſa, de venaeſectione et opio in ſtadio variolarum ſuppuratorio diſſeritur. Omnia, quae opium ſpectant, eo redeunt, vt opium vim cordis augeat et circuitum humorum acceleret, vt calefaciat et humores

humores rarefaciat ac tandem congerat ſanguinem celerius motum et rarefactum ad caput et pectus cet. Id quod ex HARRISIO, SYDENHAMO, BOERHAAVIO, MEADIO, HUXHAMO, probatur.

VII.

ANTON. DE HAEN ad ſibi communicatas obſeruationes Vratislauienſes de cicuta reſponſio. Francof. et Lipſiae 1765. 8. pl. 4. *)

Huius epiſtolae ſcribendae data eſt Cl. Auctori, qui cicutae adeo laudatam vtilitatem minus largitur, hacque in re alios medicos et chirurgos, ac potiſſimum Vratislauienſes conſentientes habet, occaſio a Cl. TRALLES, qui aliquo loco illius libri, quem paullo ante recenſuimus, obſeruationes Viennenſes de cicutae vtilitate atque praeſtantia etiam Vratislauiae comprobatas eſſe affirmauit. Fecit enim Cl HAEN ſuaſore et auctore III. SWIETEN multa cum cicuta **) pericula, quae nunquam id praeſtitit, quod alii eam effeciſſe aſſeruerunt.

In demonſtranda itaque minus vtili, quam plerumque traditur, cicuta, primum ad ea, quae Cl. STOERKIUS ***) in ſuis libris de cicuta habet, Cl. Auctor reſpondet eaque refutat, dein ad inſignes tumorum illorum differentias, quas iam in *ratione medendi* ****) perſecutus eſt, prouocat, erroresque in diagnoſi

*) Quae data eſt 9 die februarii 1765. Prodiit autem eadem epiſtola hoc titulo: ANTON. DE HAEN. epiſtola de cicuta ſ. l. 1765, quae die 3. febr. ſcripta eſt. Caeterum non differunt.

**) vid. ration. medendi Tom. II. p. 45 et 46.

***) v. Comm. noſtr. Vol. VIII. p. 649. Vol. XI, p. 230 ſq. Vol. XVII. p. 300.

****) v. Tom. VII. a § 129. vſque ad § 137.

diagnoſi morbi commiſſos oſtendit, nec raro, ac potiſſimum quidem in obſtructionibus viſcerum, cicutae vſu curatis, ad medicamenta reliqua v. c. ſaponem, gummi ammoniacum aliaque, cicutae admiſta, non reſpexiſſe obſeruatores, conqueritur.

p. 30. Tum ad ichoris, vario colore praediti, mutationem in pus, effectum cicutae adeo certum, venit illumque experimentis ſuis negat, atque repetit belladonnae, atropae LINNAEI, aliarumque narcoticarum plantarum aeque infelicia ac cicutae experimenta *) et, poſtquam infauſtas cicutae curationes, ab aliis obſeruatas, commemorauit, in ſymptomata, ab vſu cicutae profecta, inquirit.

p. 49. His conſideratis pergit, Cl. Auctor cicutae vires in vlceribus, fiſtulisque malignis, faucium, linguae, labiorum, genae, iuguli, colli crurum, brachiorum omniumque omnino corporis humani partium perpendere, ita tamen, vt praemittat, quae habet Cl. Auctor **) de applicanda aqua tepida ſiue pura ſiue adſtantium cauſſa cum malua, parietaria, lauendula ſimilibuſque plantis cocta, in eiusmodi morbis cutaneis inueteratis eiusque inſignem aquae calidae vſum exemplis probat, quorum vnius ſolummodo mentionem facere lubet. Horrenda nimirum elephantiaſis, cuius cruſtas deciduas vas, libras octo aquae in ſe ſuſcipiens, non capere potuit, fruſtra diuque adhibita cicuta, aqua tepida ab eo eſſe ſanata dicitur. Tandem Cl. Auctor cicutam nocere poſſe generi humano exemplis demonſtrat.

*) vid. ANT. DE HAEN rat. medend. Tom. II. p. 45 ſeq.
**) v. Eiuſdem libri Tom. IX. cap. 6. § 2.

VIII.

Alethophilorum quorundam Viennenſium elucidatio neceſſaria epiſtolae de cicutae, quam Celeb. HAENIUS ſcripſit ad Cel. TRALLES Vindobon. typis Io. Thom. de Trattnern, 1766. 8. pagg. 111.

Eſt profecto hic liber contra Cl. HAEN ſcriptus, in quo ea, quae in epiſtola de cicuta *) ab eo ſunt tradita, per partes refutantur. Ab initio enim Cll. HAEN et STOERK erant amici et coniunctim in noſocomio obſeruabant; qui vero, anno medico primo, vbi purpura et petechiae criticae deſcribebantur, a Cl. STOERKIO edito, diſſentire incipiebant. Cum Cl. HAEN purpuram et petechias, etiamſi ipſe non diu ante tempus haec exanthemata pro criticis habuerat, contra Cl. STOERK et Ill. VAN SWIETEN non criticas eſſe aſſeruit. Quem diſſenſum multo magis auxerunt cicutae experimenta, a Cl. STOERKIO facta, quae cum iis, a Cl. HAEN inſtitutis, prorſus non conueniunt. Cl. HAEN experimentis nulla fides adhibetur. Id quod multis exemplis probatur.

IX.

GEORGII TARTREAUX epiſcopal. Vormatienſ. Phyſic. epiſtola apologetica Viri Celebris BALTHAS. LUDOV. TRALLES medici Vratislauienſis aduerſus ANTON. DE HAEN Archiatr. Caeſar. in cauſſa de cicutae vſu ſ. l. 1767. 8. pl. 6.

Cl. TARTREAUX de cicutae viribus interdum profecto ſalubribus perſuaſus et amore eorum virorum, qui cicutam laudarunt et contra quos Cl.

*) vid. ſupra p. 49.

HAEN dixit, ductus, hic in defendenda Cl. TRALLESII de cicuta ſententia contra Cl. DE HAEN, eam prorſus reiicientem, verſatur. Ac primum quidem praemittit de cicuta ſcriptores, qui intra quatuor quinqueue annos centum quinquaginta et ſeptem collegerunt obſeruationes. Quarum pleraeque ad ſcirrhos et carcinomata in externis pariter, ac internis corporis humani partibus ſpectant; nonnullae autem vlcera, fiſtulas, cariem, ſcabiem, impetiginem, lepram, luem veneream, gonorrhoeas, album fluxum, menſtrua ſuppreſſa, affectiones ſcorbuticas et ſcrophuloſas, iſchiadicos dolores aliaque mala attinent. Quae omnia, paucis quibuſdam exceptis, ope extracti cicutae ſanata vel ſaltim lenita ſunt. Tum, commemoratis quadraginta obſeruationibus ex diario medico Pariſienſi, quas aſſidue Cl. Auctor recenſuit, ac nominatis tandem aliis medicis, qui laudarunt cicutam, ad ea, quae habet Cl. DE HAEN in epiſtola, ad Cl. TRALLES contra cicutam *) Noſter reſpondet, nec ſemper cicutam iuuaſſe; nunquam autem nocuiſſe cum Cl. STOERK affirmat.

p. 50. Tandem octo obſeruationes Cl. Auctor tradit, ex quibus quidem non ſemper eius exſpectationi cicutam penitus ſatisfeciſſe, interim tamen non plane eam fuiſſe inefficacem, quid, quod non nocuiſſe, ſatis luculenter apparet.

p. 51. Prima obſeruatio agit de cancro exulcerato in mamma ſiniſtra, qui, adhibito per octo circiter menſes cicutae extracto et interpoſitis laxantibus, vſque ad paruum vlcus ſanabatur. Recuſato autem ab aegra remedio, per nouem aut decem menſes non vidit Noſter eam. His vero praeterlapſis, dolore atque foetore iterum apparente, denuo ad Noſtrum ſe

*) vid. ſupra p. 49.

ſe conuertit eiuſque medelae ſe tradidit. Rediit itaque ex Cl. TARTREAUX conſilio ad cicutae vſum, ſed non amplius, ac ante in hac aegra, etiamſi in triplicata imo quadruplicata ſumeret doſi et per tres propemodum annos, ea praeſtitit effectus. Nihilominus tamen cancer habebat ſpeciem ſimplicis vulneris, h. e. erat roſeus, emanabat pus bonum, dolores leues, nec continuos excitans, nec adeo ingratum ſpargens odorem. Quid quod Cl. Auctor eum aegrae faſtidio aliisque ſymptomatibus impediretur, quo minus vlterius dari poſſet cicuta, intra decem duodecimue dies foetidiſſimam ſaniem, intenſos admodum dolores, moleſtiſſimas anxietates ac continua inſomnia animaduertebat; quae omnia, cicuta denuo per ſeptem dies exhibita, iterum euaneſcebant. Id quod Noſter decies obſeruauit, nec corticem Peruuianum nec aliud antiſepticum eoſdem effectus exferere potuiſſe, expertus eſt. Morbi autem diuturnitate et variarum febrium inſultibus ita conſumebatur aegra, vt tandem hydropica obiret.

Sumſit haec aegra per totum morbi decurſum vltra quinquaginta libras pilularum de cicuta. Bis et haud raro ter de die vna vice triginta vſque quadraginta duorum granorum ad pondus deglutiuit, nec vllum inde ſenſit incommodum. Quod ſi vero hanc doſin augebat Noſter, vertigine et quodam membrorum torpore afficiebatur. Opio rariſſime vſus eſt Noſter in hac aegra, quia ſoporoſam eam reddebat et Cl. Auctor apoplexiam timebat.

His igitur bene accurateque obſeruatis, Cl. Auctor adducitur vt credat, cicutam eſſe innocuum ſaltem, ſi non vtile ſemper, medicamen: aerem carcinomaticum ichorem corrigere, ac prae ceteris remediis corrigere et tandem cicutam non agere ad modum narcoticorum.

p. 56. Obſeruatio ſecunda continet cancrum exulceratum inſignis magnitudinis et foetidiſſimi ichoris in colli ſiniſtro latere, qui praeter multas alias moleſtias et deglutitionem magnopere impediebat. Cicuta ſola per octo menſes data haec aegra penitus curata eſt.

p. 59. In tertia obſeruatione vomicam pulmonis ingentem et foetidiſſimo ichore impletam cicutae vſu feliciter ruptam et ſanatam fuiſſe perhibetur. Exſpuebatur enim paulo poſt, cicuta per ſeptimanam ſumta, loco puris graueolentis et teterrimi cum membranulis ſubnigris pus bonum et inodorum. Quem cicutae effectum Cl. DE HAEN prorſus negat.

p. 62. In quarta, quinta et ſexta obſeruatione morbos cutaneos peſſimae indolis, vlcera profunda, ſanioſa, nec non tumorem ſcirrhoſum, qui gallinacei magnitudinem habentem, in hypochondrio ſiniſtro, qui ventriculo repleto maior erat, aliasque colli glandulas induratas atque fluorem album inueteratum in et externo cicutae vſu feliciter eſſe ſanata traditur.

p. 67. Septima obſeruatio complectitur polypi hiſtoriam, quem Cl. Auctor circa cor propter ſuffocationis ſenſum et pulſum intermittentem adeſſe ſuſpicabatur. Aegra febre, qua corripiebatur, hemitritaea curata, tuſſi ſicca, moleſta, anheloſaque reſpiratione valde agitabatur ſemperque habebat adhuc pulſum intermittentem. Multis aliis fruſtra propinatis medicamentis, praeſcribebatur mixtura ex corticis Peruuiani et cicutae extracto cum aqua florum ſambuci et ſyrupo diacodii ita, vt quotidie, reliquis non mutatis, decem grana cicutae doſi adderetur. Quo remedio melius ſe quidem habuit aegra, pulſu tamen ſemper intermittente. Quinque vero

vero per menſes eo remedio continuato, et pulſus inueniebatur naturalis ac ſana omnino per duos annos viuebat. Poſtea vero ex retentione catameniorum hydropica facta diem obiit ſupremum. Aſſiam cum hac coniungebat Noſter aegrae, eaſdem moleſtias ſentientis, hiſtoriam, quae cicutae vſu ſunt fugatae, paulo poſt autem redierunt et iterato cicutae vſu iterum ceſſarunt.

Octaua tandem obſeruatione deſcribitur iuuenis ſtrumoſus, qui ſeptem tumores ſubliuidi coloris, duros, dolentes, pugno ampliores et in apice ad imperialis propemodum magnitudinem exulceratos, materiaque ſanioſa, foetente, corroſiua ſcatentes, ſub mento, axilla etc. habebat. Vidit et hic Cl. Auctor bonum cicutae effectum, ac inprimis quidem ichoris in pus conuerſionem. Annectitur hic a Cl. Auctore hiſtoria arthritidis dirae vtroque aequinoctio periodicae, cicutae ope curatae. Nihilominus tamen in arthritide aconitum praefert cicutae. p. 70.

X.

IOSEPH IACOB PLENCK chirurgiae atque artis obſtetriciae magiſtri nouum ſyſtema tumorum, quo hi morbi in ſua genera et ſpecies rediguntur. Pars prior, Vienn. 1767. 8. pagg. 242. *).

Diuiſionibus tumorum variis praemiſſis, quae a veteribus pariter ac recentioribus ſunt factae, ad nouum ſyſtema tumorum condendum ſeſe Cl. Auctor accingit. Fundamentum diuidendi tumores quaerit Noſter in humore vel materia morboſa, in tumoribus contenta. Quod nomina attinet, his tumoribus impoſita, plurima graeca ſunt et explicationem ſpeciei tumoris in ſe continent, inter quae nonnulla a Cl. SAVVAGES aliisque, quaedam noua deprehendimus. Cum autem ob breuitatem, cui hic ſtudioſi ſumus, totum huius ſyſtematis elenchum tradere non liceat; genera tumorum cum Lectoribus communicabimus, iisque paucas ſpecies addemus.

p. 5. Sunt vero ſedecim genera: 1) tumores inflammatorii, 2) purulenti, 3) gangraenoſi, 4) indurati, 5) aquei, 6) ſanguinei, 7) cyſtici, 8) excreſcentiales, 9) oſſei, 10) terrei, 11) tumores aerei, 12) ſaliuales, 13) bilioſi, 14) lactei, 15) hernioſi ſpurii, 16) organici.

p. 30. Iam nonnullas ſpecies videamus. Inter ſpecies tumorum inflammatoriorum itaque lubet *erythema* commemorare. Quod eſt rubor cutaneus cum leui cutis intumeſcentia, quae eryſipelas ſpurium poteſt vocari, cuius et TISSOTVS nec non SAVVAGES mentionem

*) Prodiit quoque hic liber germanice hoc titulo: IOS. IAC. PLENCKS *neues Lehrgebäude von Geſchwülſten. Aus dem Lateiniſchen überſetzt. Dreßden und Leipzig*, 1760. 8.

mentionem fecerunt. Oritur ſine febre ac alio ſymptomate plerumque ab externa cauſſa, vt apud infantes ab vrina, ſeu a veſpis aliorumque inſectorum morſibus. Huc Noſter et effectum rubefacientium refert.

Inter tumores induratos *ſtruma* exempli loco no- p. 104.
[illegible]amus. Eſt tumor in antica et media parte colli, [illegible] in glandula thyroidea ſedet, et pro contentae materiae diuerſitate varias ſiſtit ſpecies, vt ſarcoticam ſcrophuloſam, ſteatomatoſam, aquoſam, aeream, calcaream.

Speciem tumorum aqueorum ſiſtit *tumor lym-* p. 127.
phaticus. Eſt ille tumor ſingularis a lymphae collectione ortus, nec oedematoſus, nec cyſticus, vbi in tela celluloſa, vaſe lymphatico rupto, lympha colligitur. Valde periculoſum, nullibi accurate deſcriptum ideoque notatu dignum eum Noſter iudicat. Tria ſtadia ab ortu progreſſu ac fine huius tumoris in deſcriptionis hiſtoria notantur. Ab initio tumor eſt planus, rotundus, albus, indolens, elaſticus, impreſſionem digiti non relinquens, vltra annum permanens, et emiſſum in hoc ſtadio liquidum eſt lymphatico albuminoſum. Circa femur, ſuram, nates, lumbos, dorſum, pectus, brachium oritur. Hoc primo ſtadio elapſo, ſponte ſeu, remediis minus caute adhibitis, citius, tumoris peripheria augetur, dolet, flaueſcit et rubet. Atque hoc eſt ſecundum ſtadium, quo contentum fluidum in putredinem abire incipit. Tandem ſubinde eroditur tumor et lympha purulenta effluxente, collabitur, remanet abſceſſus pallidus aquoſus, ex quo liquidum tenue, purulentum emanat et aegrum raro vltra annum durans vero maraſmo ita emaciat, vt pereundum illi ſit. Hoc ſtadium tertium vocari poſſe Noſter arbitratur. Quibus praemiſſis, quaerit Cl. Auctor, vtrum cauſſa proxima ſit eroſio, an ruptura magni vaſis lymphatici?

an in primo ſtadio lympha effuſa ſana, in ſecundo corrupta ſit? an denum in tertio ſimul cum corrupta lympha et ſana emanet? Obſeruauit non raro hunc tumorem in infantibus, ſcorbuticis poſt variolas, et a contuſione iamdudum praegreſſa. Sanationem eius difficillimam retur Cl. Auctor. Poteſt enim in primo ſtadio nulla arte reſolui, emollientibus adhibitis breui increſcit et dolere incipit. Aperto tumore, ſuppurantia augent effluxum, adſtringentia ad tempus conducunt quidem, augent tamen tumorem in peripheria. Quapropter in ſecundo ac tertio ſtadio nulla curationis ſpes ſupereſt; in primo autem hanc ſuadet: fiat nimirum parua inciſura, vt liquidum contentum exire queat, arceatur aeris vis et quotidie meracum infuſum antiſepticum cicutae iniiciatur. Cl. Auctor acetum lithargyrii cum oleo terebinthinae et maſtiche cum inſigni fructu iniecit. Ceterum pulueres ſarcoticos, balſama adſtringentia, varias aquas vulnerarias, fungum agaricum, cauſtica ad vlceris ſuperficiem applicata ex ſua aeque ac aliorum experientia fruſtra adhibere vidit. Eſt tandem hic tumor fere ſemper letalis. Ex triginta aegris, quos Noſter vidit, vnus, qui infans erat trium propemodum annorum et tumorem lymphaticum in nate dextra gerebat, ſanitati eſt reſtitutus.

p. 143. Ad tumores ſanguineos pertinet aneuryſma et varix. Hic notamus ſolummodo ex arteriae ſubiacentis vulnere oriri interdum peculiarem pulſantem varicem, quae *aneuryſmatica* vocari poteſt.

p. 160. Inter tumores cyſticos numerat Cl. Auctor *lipoma*. Eſt tumor adipoſus, in quo nec cyſtis, nec ſevum, ſed ſola pinguedo ſana aucta et ſub cute excrpta colligitur. Quapropter differt a ſteatomate, in quo ſeui quid ſimile peculiari tunica continetur. Eſt porro et lipoma ſarcoticum, quae ſpecies ad ſarcoma a Noſtro refertur.

Inter

Inter tumores excreſcentiales *cercoſin* reperimus. p. 174.
Cercoſis vocatur polypus ex vtero vel vagina pro-
actus.

Tumores oſſeos diuidit Noſter in exoſtoſes, to- p. 176.
phos, gummata, hyperoſtoſes etc.

Genus terreorum tumorum continet tophum p. 192.
podagricum et ranulam lapideam, ſcilicet calculum
ſublingualem.

Pneumatoſis ſpecies eſt tumorum aereorum, et p. 204.
vocatur emphyſematoſus totius corporis ſuperficiei
tumor.

Ranula apud Noſtrum genus tumorum ſaliua- p. 206.
lium conſtituit et oritur a ſaliua in praeternaturali-
ter dilatato ductu ſaliuali contenta.

Species tumorum lacteorum ſunt ſparganoſis et p. 220.
abſcellus lactei. *Sparganoſis* eſt dolorosa mamma-
rum intumeſcentia, quae a nimia in earum fabri-
cam depoſitione lactis oritur.

Omnes tumores, qui in ſcroto vel vmbilico orti p. 216.
non partem organicam, ſed humorem vel aliam de-
generationem morboſam continent, herniae a No-
ſtro vocantur ſpuriae. Notamus ex his *empyocelen*
ſ. puris collectionem intra ſcrotum vel teſticuli fa-
bricam, *liparocelen* ſ. adipoſam telae celluloſae intu-
meſcentiam, quae ſcrotum vel teſtem ambit et a
MORGAGNIO ſteatocele nuncupatur, *lipomphalum*
ſ. pinguedinoſam vmbilici herniam.

Tandem a Noſtro tumores organici conſideran- p. 238.
tur. Hanc claſſem conſtituunt parorchidium, gib-
ber, hernia. Vera gibboſitas vt plurimum infanti-
bus, rariſſime adultis, videtur Noſtro communis, atque
vocatur ſpinae dorſi vel thoracis oſſium indecora
prominentia, ac diuiditur in ſpinalem, ſcapularem,
ſternalem et coſtalem. Inter cauſſas gibboſitatis re-
fert Noſter muſculorum abdominalium rigiditatem.
Quod autem ad hernias veras attinet, earum hiſto-
riam

riam ob amplitudinem in posteriori huius libelli parte, quam auide exspectamus, Cl. Auctor tradere secum constituit.

XI.

IOANNIS TAYLOR, Equ. Med. Doct. Imp. Reg. et Princ. plur. Ophthalmiatri, plurimarumque Academicarum socii, noua nosographia ophthalmica; hoc est accurata recensio ducentorum et quadraginta trium affectuum, qui oculum humanum partesque vicinas vllo modo laedere aut ipsum visum adimere possunt; iconibus artificiosissime sculptis et coloribus ad viuum expressis incredibili accuratione illustrata. Hamburgi et Lipsiae, impensis haeredum Grund et Holle. 1766. fol. plagg. 18. cum tab. aeri incisis et pictis 22.

Non vana sunt encomia, quae bibliopola in praemonito huic operi tribuit, esse illud diu desideratum, a nomine antea tentatum, iam vero magnis impensis perfectum. Neque icones istae, quas operae artificiosissimi MARTINI DE DRAZOWA debemus, merita laude defraudandae sunt. Cum vero id iam nobis negotii datum videamus, vt Lectoribus nostris pleniorem libri notitiam tradamus, per partes eundum esse duximus, et cum in descriptionum ipsarum, quae non mutatae, quales TAYLORVS confecit, typis exscriptae sunt, ratione, partim in iconum ad illas relatione, recensendum, quid curatiore consideratione dignum nobis visum fuerit.

Morbi hi in viginti octo capitibus comprehenduntur; quorum seriem commemorare liceat, quo totius instituti ratio ex iis diiudicari possit. Pertractat igitur caput 1. morbos canalium lacrymalium;

2. com-

2. communes palpebris; 3. morbos inter aponeuroſin muſculorum palpebrae ſuperioris et tegumenta eiuſdem; 4. eos inter aponeuroſin et tunicam coniunctiuam palpebrae inferioris; 5. fimbriarum externarum palpebrae ſuperioris; 6. glandularum ciliarium et fimbriarum palpebrae internarum; 7. caruunculae lacrymalis et partium adiacentium; 8. glandulae lacrymalis; 9. eos inter globum et orbitam; 10. muſculorum globi, 11. ophthalmiae ſpecies diverſas; 12. membranae corneae morbos; 13. compoſitos corneae, membranae oculi coniunctiuae et albugineae; 14. morbos, intumeſcentiam tunicae oculi coniunctiuae praeternaturalem cauſſantes; 15. morbos capſulae humoris aquei; 16. iridis et uueae 17. partium iridis, pupillam formantium; 18. corneae et iridi communes; 19. parti anteriori capſulae humoris cryſtallini et circumferentiae pupillae communes; 20. corneae iridi et vueae communes; 21. eos, in quibus humoris cryſtallini volumen minuitur; 22. eos, in quibus autem augetur; 23. morbos organi viſus immediati, nimirum tunicae retinae, choroideae, vueae et nerui optici, in quorum extremo gradu oculis omni luminis ſenſu priuatur, et pupilla immobilis eſt; 24. morbos eiuſdem organi, viſum hebetantes; 25. morbos organi viſus, in quibus viſus abolitus, ſenſus autem lucis ſuperſtes eſt; 26. toti globo communes; 27. humoris aquei, et 28. vitrei. Explicationi latinae iuncta eſt verſio teutonica, eaque ſatis accommodata, niſi quod minus appoſite aponeuroſis per teutonicam vocem *Spannader* et deterius adhuc caruncula lacrymalis per *Thränendrüſe* vertantur. Licet enim vtique caruncula haec aegre in noſtra vernacula exprimi poſſit, et inde denominatio haec toleranda eſſet, maxime cum ſtructura ipſa eam non prohibeat: neceſſario tamen inde naſci ambiguitatem oportet, niſi ſimul

ſedem

ſedem ipſius addideris; quo rite a glandula lacrymali diſtinguatur.

De deſcriptionibus ipſis Auctoris, et de methodo eius in ordinandis generibus ac ſpeciebus morborum, nec non de nominibus, iis impoſitis, infra quaedam dicturi erimus. Iam in ſolis iconibus primum ſubſiſtemus, vbi differi omnino nequimus, varias ex iis plane non exprimere, quod debebant; quorſum pertinent enothes 49. apoſtaſis ſecunda ſpecies 67. hippos 72. ſcotodinia 166. thlepſis (rectius *thlipſis*) 171. 172. et in vniuerſum in toto capite 23; mobilitas vel immobilitas pupillae in iconibus diſtingui fere non poteſt, ſicut etiam ſequentis capitis icones non niſi pupillam vel contractam vel dilatatam vario gradu ſiſtere, neque haerentem in abſconditis partibus morbi ſedem indicare poſſunt. Idem iudicium de morbis 225-231. ferendum eſt, qui cum a laeſis ramis neruorum muſculis, et ligamento ciliari pendeant, nec cauſſarum, nec ſymptomatum diuerſitatem, ſola inflammatione excepta, exprimi ſinunt. Rhyadis prima ſpecies 54. in icone non differt ab oculo ſano, niſi quod lacrymari videatur. Achrochordon 43. in deſcriptione morbum ſiſtit palpebrae inferioris, in icone ſuperioris figura 27. et 28. proſus inter ſe commutatae ſunt, ita vt deſcriptio 27. iconem, 28. et vice verſa reſpiciat. Phygeton (potius *phygethlon*) 78. et phlatarodes (*platarotes*) 79. in icone nullam aliam diſtinctionem a ſe inuicem praebent, quam ciliorum in poſteriori defectum. Duae icones 153, quae kataſtaſiam, altera antrorſum, altera a latere, ſiſtunt, colore lentis variant, vt adeo eundem ille morbum ſignificari vix crederes. In ſynaeriſis (*ſynaereſis*) tertia ſpecie 223. ſanguinis particulae in camera humoris aquei extrauaſatae non exprimuntur, in quibus tamen deſcriptio differentiam ſpecificam ponit. Inſignius erratum videmus in platicoraſi

icoraſi (*platycoria*) ſpeciei primae 169, vbi deſcriptio diametrum pupillae duplo maiorem naturali, icon autem eumdem contractiorem ſiſtit. Homiclos (*homichlos*) 107. in icone deſcriptioni non ſatisfacit; lichiaſis autem 47. et argemon 104. fere prorſus non reſpondent. Ednae prima ſpecies 173. et empyrodis ſecunda 181; raticoriaſis ſecunda ſpecies 176 et pararoſis 182; empyrodis prima ſpecies 180, et helcoſis prima 183; exophthalmiae ſecunda ſpecies 217. traumatis prima 218. et ſynaereſis prima 221, licet re ipſa omnino differant, in iconibus tamen fere congruunt. Eadem ratio eſt ochromati 235, et hydrophthalmiae 238. Adſunt autem plura exempla, iconum, quae ita inter ſe conuenire videntur, vt vel difficillime vel prorſus non diſtingui poſſint, v. c. tumor palpebrarum phlegmonoſus 17. et eryſipelatoſus 19; totum caput quartum, quod tumores tunicatos palpebrae inferioris ad canthum maiorem ſiſtit, nempe ſteatoma 28. (in icone 27.) atheroma 29. et meliceridem 30. quos omnino tactus magis, quam viſus diſtinguere debet; taraxis primae ſpeciei 73. et ſcuila ſecundae 77. cum quibus et ophthalmia venerea 85. fere conuenit; phlyctaenarum prima ſpecies 97. et pſydracion 99; onyx 103. et hypopion (*hypopyon*) 128; argemon 104. et cothrion 105; coniunctiuae tumor oedematoſus 125. et eryſipelatoſus 126; prochyſis 131 et hygrotados 133: ſynapſiſe (*ſynapſis*) duas ſpecies 141. 142. complectens; argyrias 144. et royme 148; ſtaphyloma 146. et melon 149; helcoſis tertia ſpecies 185. et rheis 196; muſcae volitantes primae ſpeciei 186. antonia ſpeciei ſecundae 189. et pichotes 204; hemeralopia 191. et arates primae ſpeciei 194; antoniadula 197. et ſcotoma ſecundae ſpeciei 199. Orphnodis duae ſpecies 202. 203. et niſi inflammationis bulbi rationem habere velis, kataploſis ſecunda

cunda ſpecies 225. achloroidis prima et tertia 227. 229. et aperibroſis prima 230. multum cum inter ſe, tum cum ſyneſeſis (*ſynizeſis*) prima ſpecie 134. conueniunt. Scleriaſis ſecunda ſpecies 25. et chalazion 32. tantum numero tumorum inter ſe diſcrepant. Pſorophthalmia 38. et ſclerophthalmia 39. vix niſi quantitatae puris in palpebrae inferioris margine, et epinyctis 62. et periuroſis (*peribroſis*) 63. tantum effluente in poſteriori humore differunt. Taraxis ſpecies prima 73. fig. A. non differt a 74. quae eiuſdem ſpeciem ſecundam ſiſtit, quamuis deſcriptio addat, in poſteriori nonnunquam adeſſe infarctum vaſorum ſanguiferorum corneae. Achlys primae ſpeciei 86. et pachydes (rectius forte *pachytes*) 88. eo tantum differunt, quod in priori ſuperior, in poſteriori inferior corneae pars opaca ſit.

Haec de iconibus. Nunc deſcriptiones ipſas ſecundum ordinem perluſtremus, et potiora ex iis momenta excerpamus. Anchylopis (*anchilopis*) 5. 6. et aegylopis (*aegilopis*) 7. 8. 9. explicatio ab Auctore noſtro propoſita penitus recedit ab aliorum deſcriptionibus; et ſi dicendum quod res, optaremus vniuerſim, vt ambiguae iſtae denominationes prorſus reiicerentur, cum auctorum ſuper iis diſſenſus vix ac ne vix quidem componi queat. Inter morbos palpebrarum, quos ſecundum caput explicat, deſideramus entropium, quamuis contrarium huic vitium ectropium 16. adſit. Quodammodo forſan ad diſtichiaſin auctoris noſtri 47. referri poterit. Scirrhophthalmiae duae poſteriores ſpecies 35. et 36. inter ſe coniungendae ſunt. Lippitudinem 37, quam auctores pro ſynonymo ophthalmiae humidae aſſumunt, limitibus arctioribus circumſcribit Noſter, dum ſub ea intelligit materiam viſcidam, ex glandulis ciliaribus palpebrarum exſudantem. Pſorophthalmiam 38. auctores dicunt ſcabritiem oculi maxime

in

in angulis et palpebris, cum humore parco et acri; Noſter vero leuem inflammationem canthi minoris cum materia tenaci, in glandulis ciliaribus ſecreta. In ſclerophthalmiae 39. deſcriptione adducta ab aliis ſigna, durities oculorum nimirum cum dolore ac rubore, et lacrymarum defectus, omiſſa ſunt. Xerophthalmia 40. aliis dicitur rubor oculorum cum dolore leni, prurigine et grauitatis ſenſu, palpebris noctu pituita conglutinatis: hic autem maior doloris gradus et ſedes materiae tantum in cantho minore aſſumuntur. Diſtichiaſis 47. deſcriptio itidem ab aliis auctoribus recedit, qui eam dicunt ſeriem pilorum, ſub ordine naturali eorum, creſcentem et intus ad oculum tendentem; Noſter autem inuerſionem marginis palpebrae inferioris cum ciliorum tam maiorem, quam minorem verſus angulam intro directione appellat. Anchyloblepharo (*ancyloblepharo.*) 48. iuſto arctiores limites ponuntur, dum illud cohaeſio marginum palpebrarum prope canthum tantum minorem dicitur. Vel huc vel ad ſequentem morbum enothes 49. referri videtur, cuius nulla ſit mentio, proſphyſis ſeu coalitio palpebrae cum cornea. Hyperſarcoſos (*hyperſarcoſis*) duas ſpecies 56. 57. ſiſtit, quae cum hypercromatis ſpeciebus 58. et 59. conueniunt. Hyperauxeſis 60. 61. maiori iure ad caput octauum inter morbos glandulae, quam caruneulae lacrymalis referenda fuiſſet. Caput decimum quatuor ſtrabiſmi ſpecies exhibet, ſed facile perſpici poteſt, plures eſſe poſſe; in propoſitis tamen ceu ſpeciminibus acquieſcere omnino poſſumus. Chemoſis 75. et ſcuila 76. 77. parum inter ſe differunt. Peculiaris etiam ſenſus platarori 79. tribuitur, inter ophthalmiae ſpecies relato, quem reliqui auctores tumorem fungoſum, inter tegumenta palpebrarum ortum, vocant. Ophthalmia etiam venerea ſingularem ſpeciem 85. conſtituit; quidni etiam ſcabioſa, ſcorbutica e. ſ. p.? Achlys

86. et nephelion 108. non incongrue diſtinguuntur, quod prior morbus a taraxi, alter a phlyctaenis originem ducit. Sic etiam commode diſtingui putamus, paralampſin 89. et leucoma 118. Exigua e contrario differentia eſt inter duas ſpecies ochlodis 90. 91. An huc forſan hydrops corneae pertinet, cuius nullam vllibi mentionem factam videmus? Pari modo videntur ad rhyditoſin 92. referendae fiſtulae corneae, a MAVCHARTO deſcriptae, de quibus itidem ſilet Noſter. Notamus in genere vocem rhyditoſis prorſus alio ſenſu vſurpari, dum ſignificat cauitates paruas in corneae quibuscunque partibus, illaeſa eius pellucidítate; aliis e contrario conuenit cum tabe pupillae, quae 165. proponitur. Ad phlyctaenas 98. procul dubio hydatides corneae pertinent, quamquam MAUCHARTVS vtrumque morbum a ſe inuicem diſtinguit. Phyoſis (*pyoſis*) ſecunda ſpecies 101. et oeſima (*oiſma*) 102. inter ſe ferme conueniunt. Nephelion 108. et oules ſpecies 109. 110. non, niſi gradu, inter ſe diſcrepant. Aiglia 112. videtur eſſe *aegis* vel *aegis*, quamquam deſcriptio ratione originis nonnihil diverſa eſt. Otyles duae prioris ſpecies 113. 114. itidem gradu tantum a ſe inuicem differunt. Hypopyon 128. oriri dicitur a pure, per onychem collecto et in cameram anteriorem emiſſo; frequentius tamen exiſtit a ſanguine ex interioribus oculi vaſis effuſo et huc delato. Totum caput decimum octavum contrahi potuiſſet et ad pauciores morborum ſpecies reduci, inprimis achyſis prima ſpecies 139. et aponeuchyma 143. vnus idemque morbus eſſe videntur. Aiohicinos ſecundae ſpeciei 157. et biapiaſis 159. neque deſcriptione, neque icone multum differunt. In toto hoc capite vigeſimo primo inter cataractae ſpecies nulla mentio fit aqueae, cuius tamen exiſtentia negari nequit. Caput vigeſimum ſecundum tres ſpecies glaucomatis complectitur,

cuius

cuius notio in lente cryſtallina, praeter naturam aucta, ponitur. Antracoſis (*anthracoſis*) 163. et mydryaſis 164. melius icone, quam deſcriptione diſtinguuntur. Neque tamen phaenomenon muſcarum vel macularum, oculo obuerſari viſarum, in quo tamen deſcriptio maximam differentiam ponit, exprimi in imagine poteſt. Platycoria 169. 170. aliis in genere notat dilatationem papillae, Noſtro autem Auctori ſingularis eſt ſpecies amauroſis. Paramptoſis (*paremptoſis*) 178. 179. empyrorodes 180. 181. helcoſis 183. 184. immerito in duas ſingulae ſpecies diuiduntur, ſi deſcriptionem conſideres; icones tamen omnino inter ſe diuerſas conſpicimus. Eadem ratio eſt arratis 194. 195. Amplyopia (*amblyopia*) 192. a multis pro ſynonyme amauroſis vſurpatur, et vere apud Noſtrum quoque Auctorem non, niſi minori gradu obſcurationis, differt; neque tamen a ſola inflammatione diuturniore, ſed ab omnibus, a quibus amauroſis, cauſſis proficiſci poteſt. Antoniadula 197. ſcotomatis ſecunda ſpecies 199. et orphnodes 202. 203. eo tantum inter ſe differunt, quod vel connati vel acquiſiti morbi ſint. Abſceſſus 206. ad hygrotedon 133. referri poteſt, quorſum forſan et empyeſis vel empyema oculi pertinet, cuius nullibi mentionem fieri videmus; empyoſis enim 158. plane diuerſus morbus eſt, ad cataractam pertinens. Proptoſis duae ſpecies 207. 208. gradu tantum inter ſe diſcrepant; ſic et atrophia ſeu diminutio globi oculi 213. et 214. Sykatheſis prima ſpecies 209. omnino diſtingui debuiſſet a reliquis 210-212. Ad exophthalmiae primam ſpeciem 216. procul dubio pertinet ἐκπτισμος ſeu procidentia oculi; proptoſis enim, quo nomine idem quoque morbus ab Auctoribus inſignitur, alium prorſus morbum 207. 208. denotat. Duae priores kataploſis ſpecies 224. 226. icone magis, quam deſcriptione differunt.

Paucis tantum adhuc nomenclaturam morborum tangere liceat. In nominibus autem multos errores irrepsisse, vel ex additis hinc inde exemplis patet: quae quidem partim ita comparata sunt, vt errores typographi videri possint: an vero omnia ita diiudicanda sint, nos quidem decidere non audemus. Commemoramus adhuc nonnulla (in omnibus enim veram denominationem ne coniectura quidem assequi potuimus): pachyrtes 26. (forte *pachythrix*), traucoma 41. (*trachoma*), ficosis 42. (vel latine *ficositas*, vel graece *sycosis*) koiras 82. 83. (*choeras*), chaemola 103. (*coeloma*) echimosis 119. (*ecchymosis*) synechia 137. 138. (*synechia*) e s. p. Interdum nomina morborum sensu, ab ipsa etymologia alieno, assumta sunt, quod superius in distichiasi, psorophthalmia, sclerophthalmia et ancyloblepharo ostendimus. Nonnumquam, vt amblyopiae exemplo docuimus, nomina vitiorum generalium partialibus morbis imposita fuerunt, iisque itidem saepius a notione generali distantibus. Sic haimalopia (*haemalops*) 243. alias in genere oculum cruentatum significat; hic autem dicitur dissolutio nexus partium humoris vitrei, ab abscessu in partibus bulbi internis exorta. Synchisis (*synchysis*) 205. oculum ab ictu cruentatum denotat; apud Nostrum autem est commistio et perturbatio humoris crystallini et vitrei ab ictu, nervum opticum comprimens, cum protrusione partium quarumdam lentis in pupillam coniuncta. Exempla synonymorum vnius eiusdemque morbi, quae variis affectibus tribuuntur, scotodinia 166. et scotoma 198. 199. praebent. E contrario videmus diuersis morbis vnum nomen impositum esse; nimirum phlyctaenae 27. (in icone 28) omnino ab iis 97. et homichlos 107. a duabus speciebus eiusdem nominis 116. 117. differunt. Optaremus etiam, vt nomina eiusdem originis non tributa essent morbis ob differentem

sedem

ſedem omnino diuerſis, quod tamen factum eſſe deſent anthrax 22. et anthrakion 51. karkinoma 23. et karkinos 52. Fieri enim non poteſt, quin confuſio inde oriatur.

Quodſi denique totum etiam inſtitutum probaremus (neque enim poſſumus in genere laudem detrahere ſolertiae adhibitae, cum in deſcriptionibus, tum iconibus conficiendis), licet in eo multa ſupereſſent monendo, et pretii longe minoris, at vtilitatis certe maioris liber exhiberi potuiſſet: optandum tamen foret, vt tantae farragini nominum additus fuiſſet index, quo ſuccurreretur Lectoribus, hunc illumue morbum indagare cupientibus. Taedioſus enim labor eſt, percurrere tot nomina, ante quam, quod quaeſieris, inuenias.

XII.

Tal om Farſoter, ſom mäſe häria ibland Rikets Allmoge; hållit för Kongl. Vetenſk. Academien, vid Praeſidii nedläggandeden 25 Iulii 1764. af ABRAHAM BAECK. M. D. Archiater och kongl. Colleg. medici Praeſes. Stockholm tryckt has Lars Saluius, 1765, pagg. 52. 8 mai.

i. e.

Sermo de morbis epidemicis, ruri praecipue obuiis, habitus coram academia Reg. ſcientiarum, quum praeſidis munere ſe abdicaret, ab ABRAHAMO BAECK.

Paucitatis hominum, de qua in Suecia querelae moueantur, quum haud exigua culpa epidemicis morbis tribuenda: digniſſimum ſane argumentum fuit, in quod ſollertius inquireret Ill. Auctor, qui ob praeſidis, quod in conſeſſu medicorum gerit, munus, tanto accuratius haec mala pernoſcere et ob exercitium

ercitium per populoſam vrbem diffuſum, tanto efficaciora, ad ea auerruncanda, conſilia ſuppeditare potuit. Accedit ſtudium patriae beneuolum, quod omnes Cl. viri labores animat.

Pauperies et animi deiectio inde nata, ſitus aedium et pagorum malignus, infectio per nautas et milites migrantes, conclauia nimis anguſta et ſubitaneae tempeſtatis mutationes, cauſae horum morborum inter paganos et inferioris ſortis in vrbibus homines a Cl. Auctore reputantur. Sub has, tanquam capita, morbos ſingulos, de quibus agit, Cl. Auctor redigit.

p. 8. Annonae caritatem quaedam Sueciae prouinciae adeo diram recentioribus temporibus expertae ſunt, et viribus exhauſtos laribus patriis valedicere incola oporteret. Aliis locis miſcela raphani raphaniſtri et bromi ſecalini aliarumque noxiarum ſtirpium cum frumento diros varios morbos excitauit. Ita in Helſingia a. 1709 panis recens ex ſecali corrupto dolores et deliria creauit. A. 1737 integrae familiae, quae pane vel cereuiſia ex frumento humido et rubiginoſo vſae erant, variis pectoris morbis, cephalalgia pleuritide affectae, quin quidam ex his repentina morte occubuerunt. A. 1742 rurſus ex frumento, gelu et putredine perdito, ſubitanei et vehementes morbi, cauſus et dyſenteria, enati. De noxio effectu loli temulenti a. 1756. in Oſtrogothia exſtitit exemplum, quod, cum cereuiſia et pane ingeſtum, dolores capitis, viſus debilitatem, inebriationem, manuum tremorem et tumorem pudendorum in multis produxit. Morbum vero ſpaſmodicum epidemicum, qui a. 1746 et 1754 et ſequentibus annis in Smolandia, Blekingia et aliis locis graſſabatur, vna cum LINNAEO a raphano raphaniſtro deriuat.

p. 9.

Quo

Quo obuiam eatur his malis, consilium dat Cl. Auctor, vt ii, penes quos imperii summa est, lucri cupidinem mercatorum coerceant, vt ruri sollicite magis frumentum purgetur, vt praestantia eius pondere definiatur, et vt ex publicis reditibus egenis auxilia ferantur. Quo fine, loco orizae, quae inopibus quibusdam in locis erogatur, triticum spelta commendatur. p. 12.

Culturam quoque variorum vegetabilium huc usque in Suecia, a rusticis oscitantius tractatam, iniungit, vt raparum, radicum napobrassicae, cauliraparum, tubera solani tuberosi, fabarum, brassicae, cerasorum, pomorum et pyrorum; vultque, vt in gymnasiis et scholis ars, qua haec coluntur, doceatur. p. 13. p. 15.

Baccas vitis ideae et rubi chamaemori ob refrigerantem et antiputredinosam virtutem, colligi iubet armoraciaeque plantationem, ad scorbutum supprimendum, commendat. Damnat contra ea carnis pisciumque, sale conditorum, nimium esum et spiritus frumenti abusum.

Varia et in Suecia loca Auctor Cl. indicat, quae ob situm depressum et paludosum morbos malignio- res afferunt, a quo vitio nec maiorum vrbium quidam fructus, vt Stockholmiae, Aboe, Löncopiae, liberi sunt. p. 18.

Febres, quae aestate in Suecia incidunt, ex remittentium genere sunt, licet initio continuas aemulentur, quae mox in remittentes et intermittentes transeunt. Autumno in quartanas degenerant, postquam interdum purpurae eruptione vel petechiis malignam suam naturam significarint. Dysenteria quoque vulgaris inter ruricolas morbus est ortus, si praegressum calorem nimium tempestas humida et frigida excepit, et vsus vestium madidarum vel commoratio in locis humidis facta est, quibus ipsis putredo intra corpus generatur. Ingruit eodem, quo febres dictae, tempore, iisque p. 25.

iunctae esse solet. In multis inde hydrops, phthisis, morbus hypochondriacus, icterus et alii morbi, ex obstructione oriundi, subsequuti sunt.

p. 27. Non possumus omnia consilia, vtut salutaria, Cl. Auctoris, aduersus has febres putridas suppeditata, persequi. Lac nominatim ebutyratum et lac aestate coagulatum inter alia magni facit, cuius vis in Norrlandia apparet, vbi ex frequentiori eius vsu febres hae rarius occurrunt. Acetum cuilibet ruricolarum praesto esse deberet, cibis et potui admiscendum, sicuti miles Romanus miscela eiusdem cum aqua ad ferendos labores militares sub climate calido et insalubri par reddebatur. Quomodo situs insalubris locorum corrigendus regulis, lectu dignis, ostenditur.

p. 29. Per reduces ex Finnia milites a. 1743 febrem sic dictam Vpsalienſem, quae tamen non nouus morbus est, in vrbem huius nominis translatam, fuisse obseruatum; quin febres malignae petechiales aliaeque exanthematibus stipatae post bellum, in Finnia

p. 31. gestum, frequentius in Suecia exstitere. Idem damnum transitus militum vario tempore secum tulit; et nota sunt exempla miasmatis putridarum febrium, ipsis demortuorum vestibus propagati. Vt his obex ponatur, suadet Cl. Auctor, vt probe, antequam milites admittantur, dispiciatur, an morbo quodam laborent, vt suffimigiis eorum vestimenta et merces purgentur, et, si qui horum aegrotent, antea persanentur. In carceribus, nosocomiis, et aedi-

p. 33. bus commorationi militum (*Baracken*) dicatis, purgationi aeris iubet studiose inuigilari, quo fine ventilatorem MALESII praecipue commodum iudicat.

p. 35. Morbos, climati Suecico proprie adscribendos, vix vllos agnoscit Cl. Auctor. Plures frigore temperatioribus regionibus, quam in Suecia, pereunt.

Gens

Gens enim frigore obduruit, et operarii frigida tempeſtate alacriores, quam calida, ſunt. Tuſſis tamen, pleuritis et peripneumonia interdum epidemice ingruunt, et ex ſubitanea tempeſtatis mutatione, praecipue miti tempeſtate in frigus vehemens commutata, enaſcuntur: Ad horum morborum generationem putat multum conferre ſpiritus vini abuſum. Refrigeratione facta decoctum ſaluiae vel florum ſambuci efficax. Pelle, pectori ſuperſtrato, ruricolae Sudermanniae iam contra colicam et ventris incommoda, quibus antea multum conflictati erant, ſeſe muniunt. Ad pedes, contra frigus tuendos, calceos Scanorum ligneos Noſter laudat. Venam ſecandi artem vult, vt in quolibet pago adſit, qui calleat. Ad catarrhales febres, tuſſes, pleuritidem, rheumatiſmos auertendos, balneorum calidorum vſum vulgatiorem fieri optat. p. 36. p. 37.

Quod hi vero morbi toties lethales in Suecia euadant, huius cauſas in neglecta curatione, diaetae regiminisque vitiis, variolarum inſitione poſthabita, defectu denique noſocomiorum et medicorum in prouinciis, quaerit. Seorſim, quid hucusque in cura infantum et puerperarum vitii commiſſum ſit, innuit. Inſitionem variolarum, quum eae in Suecia tantas clades relinquant, grauiter defendit, maximeque ſalutare iudicat, eamdem quouis 5. vel 6. anno per totum regnum exercere; non ad variolas arcendas, excubias eiusmodi, quae, peſte graſſante, fiunt, vere in vſum communem verti poſſe, negat. p. 38.

XIII.

De ſcorbuto liber, cum obſeruationibus quibusdam, breuique et ſuccincta cuiusque curationis indicatione, Auctore SEVERINO EUGALENO *Doccunano*. Editio vltima, recognita et emendata, cui nunc primum adduntur obſeruationes I. FRID. BACHSTROM, et IO. HUXHAM, circa eandem materiam. Venetiis apud Nic. Pezzana. 1766. 8 mai. Alph. 1. pll. 2. et 7. paginae, c. dedic.

Editionem hanc nouam Cl. EVGALENI ſi cum ea, quae anno 1604. Lipſiae, cura Cl. IOH. STVBENDORE, prodiit, comparaueris, parum mutatam inuenies, niſi, quod materiae, de quibus in hoc libro diſſeritur, in meliorem ordinem et ad pathologiae et therapiae praecepta magis adaptatum, redactae, contenta ad marginem addita, et indices tres, quorum primus catalogum regularum diagnoſticarum generalium et ſpecialium, prognoſticarum et canonum therapeuticorum generalium et ſpecialium; alter catalogum affectuum, quorum in obſervationibus mentio fit; et tertius res, quae in ipſo libro continentur, ordine alphabetico et locupletiore complectuntur, in editione hac, pleniore modo, adiecta videantur; Nec non vindicias, quibus Noſtrum contra *calliditatem* et *vafritiem* Cel. LIND defenſum habes, praemiſſas inuenies: Qua de cauſa, cum nihil noui in hac editione, quod animaduerſione dignum iudicetur, reperiatur, nec Lectoribus noſtris EVGALENI librum incognitum ſperemus, eidem non amplius immorari putauimus. Sed, cum in inſcriptione huius libri obſeruationum Cell. BACHSTROM et HVXHAM circa eamdem materiam, eidem editioni adiectarum, mentio facta ſit,

a re

re non alienum esse statuimus, si quaedam ex his excerperemus.

Cl. BACHSTROM variis, de scorbuti historia, indole locoque eius quasi natali et proprio, disputatis, concludit: Causam veram et primariam scorbuti p. 348.
nullam aliam esse, quam abstinentiam diuturniorem a quocunque genere recentium vegetabilium, vel climatis indoli, coactioni et necessitati vel neglectui tribuendam. Causas, quas dicit, secundarias non parum iuuare, frigus nimirum, paludum aerem infectum, humiditatem et squalorem, alimentorum prauitatem, motum impeditum, sanguinis antecedentem corruptionem, alios denique morbos cum propria corporum, ad hunc morbum, procliuitate cet. Obnoxias eidem in primis esse populos septentrionales, piscatores balaenarum ex quibusuis gentibus; eos, qui mercaturae causa itinera alia maritima diuturniora suscipere coguntur, vrbes tandem et loca, diuturna obsidione cincta, nec non xenodochia et orphanotrophea. Diagnosis huius morbi p. 352.
Nostro est: Prius torpor, in dies auctior, occupat artus, posthaec saliuae et oris visciditas, mox ibi gingiuarum, palati et faucium tumor adest cum dolore, quibus cruentatio harum partium et erosiones succedunt; nunc maculae vbique, pruritus, scabiosa et fere leprosa indoles, pustulae, aqua flauida repletae, vlcera, faciei pallor et luridus adspectus; Interne vere, ex iisdem causis, febriles varii motus, anxietas, vomituritio, ructus, diarrhoea, haemorrhagiae internarum partium, praesertim hepatis corruptio et ruptura; hinc apud complures hydrops, tabes et tandem mors subitanea vel lenta. Cadauera citius putredini, quam aliorum, cum insigni foetore, obnoxia. In cura tam praeseruatiua, quam cu- p. 356.
ratoria ad vegetabilia praecipue respicere videtur Noster, quae in tres classes redigit, quarum primam

nam olera, herbae insipidae aut subdulces et fructus horaei; secundam acida et subacida; et tertiam herbae, radices et fructus, gustu amari et fortiores absoluunt, cui opium tandem adiungit. In vsu eorum eo respiciatur, vt fortioribus leniora praecedant; vt nuda ea, cruda succisque plena, h. e. recentia, non vero praeparata, quae hic nullam vtilitatem afferant, adhibeantur, vt vsui interno exter-
p. 359. nus posthabeatur. Methodum curatoriam, quomodo iis, quos supra scorbuto inprimis obnoxios addidimus, adhibenda sit, exponit, concluditque,
p. 365. morbum hunc, cum ab herbis et fructibus adeo manifeste depellatur, ex eorum defectu prognatum videri, inde et praeseruationem eius et curam, iisdem
p. 366. rite adhibitis, omnino constare. Cum vero corpora nostra, et ea, quae in id ingeruntur, resolutionem aliqua et certam subeant, putredinem iam definit, ad eam necessario requiri, vt corpus ex plurimis et variis mixtis constet, et vt in formam aliquam mechanicam sit dispositum, huc vero omnia, exceptis simplicioribus, terra, lapidibus et aqua simplici cet.
p. 370. pertinere corpora. Adminicula, quibus putredo promouetur, sunt lenior et lentior aliquis ignis gradus, aer copiosus, in corporibus inclusus, liquida certa in proportione et varii generis, vasa et textura horum corporum aliquomodo firma et tenacia,
p. 376. fetus tandem insectorum et vermes. Inquirit postmodum in naturam medicamentorum laudatorum, vegetabilium scilicet, quorum resolutionem, qua in fermentationem et aciditatem abeunt, exponit.
p. 385. His declaratis, ad ea, quae ex regno minerali proueniunt, transit, ad nitrum, salia media, in quorum efficacia ad sulphur et arsenicum, quae fere omnium minerarum principia constituant, respicit, quibus tandem alumen, ferrum et mercurium, a plurimis in nostro morbo commendatum, adiungit. Haec de Cl. BACHSTROM.

Iam

Iam ad Cel. HUXHAMII *nautarum, in diu durantibus turſibus exploratoriis et longis itineribus, ſanitatem conſeruandi methodum* perueniemus. Sanguinem in ſcorbuticis alcaleſcentem eſſe et putridum, ex foetido aegrorum ſpiritu, putridis corroſis gingiuis, vrina foetida, profundius tincta, vlceribus ſordidis, nigris, coeruleis et caſtanei coloris, maculis et eruptionibus in cute, ex frequenti calore febrili, lingua ſordida, bilioſa denique et cruenta dyſenteria, ſuſpicatur Noſter. Methodus, quam nautis ſuadet, ea eſt: Vino pomaceo, bene fermentato, nec recente, quippe quod colicis ſeuerioribus progenerandis copiam dat, ſed, fecibus bene depurato, triumque menſium aetatem habente, vtantur. Hoc vero vinum, ne tam cito in fermentationem acidam abeat, ex maioribus doliis in bona et pura percoletur vaſa; ſi vero acidum factum fuerit, non minus vtile erit. Cuilibet nautae, praeter cereviſiam et aquam menſura vini pomacei per diem concedatur. Alimentorum apparatus ſi ranciditate corruptus fuerit, crebior et liberior aceti vſus largiatur: Omnium et nauium tecta ſaepius laventur, vel aceto conſpergantur; Putridus aer et corruptus ventilatore ſemel ad minimum de die educatur. Poma vel fructus limonum aurantiorumque ciſtis ſiccis, puris, aut pannis aſperis, vel alio, horum abundantem humiditatem imbibente, apparatu inuoluta, frigida ſatis retineantur et conſeruentur. His non ſuccedentibus, ex limonum ſucco et ſpiritu ex canna ſaccharifera educto (*Rum* dicto) parata mixtura (*Shrup*) in copia adſit: Aqua putreſcens, ſucco limonum, elixirio vitrioli et aceto, quae in nauibus admodum copioſe adſint, temperetur et corrigatur. Quibus tandem monita, de peruerſa hactenus methodo, nautas ad hoc vitae genus cogendi, emendanda, adiicit. p. 395. p. 397.

XIV.

XIV.

GUALTHERI VERSCHUIR, Drenthini, diſſertatio Medica inauguralis, de arteriarum et venarum vi irritabili, eiusque in vaſis exceſſu, et inde oriunda ſanguinis directione abnormi, Groningae apud Iacobum Bolt, 1766. pagg. 92, absque titulo et dedicatione.

Tribus, vti titulus iam indicat, tractatio haec abſoluitur capitibus. Ac primo quidem, indicatis, quae ad circulationem ſanguinis abſolute requiruntur, momentis, praeter cordis vim, nunquam accurate definiendam, ad motum, per minora vaſa praeſtandum, facere oſtendit Cl. Auctor inſitam vaſis vim vitalem, contractilem, irritabilem, non muſculoſam, neque elaſticam, ſed a neruis profectam.
p. 13. Quam quidem vaſorum irritabilitatem, expoſita hiſtoria illius, experimentis cum fautorum tum aduerſariorum allatis, et argumentis, atque ſuis in canibus et ranis factis, tentaminibus comprobat, et
p. 26. contra obiectiones tuetur. Monet, partes vel maxime irritabiles, vt cor, non ſemper eam vim, quae lateat aliquando impediaturue, exſerere; frigidorumque animalium canales, Ill. HALLERO immo-
p. 28. biles viſos, ſpiritus nitri vitriolique ſtimulo vtique contrahi, atque adeo, euulſo corde, teſte microſcopio, aliquantisper adhuc agitari; contractionem per microſcopium ſolare, a variis ipſoque HALLERO vere obſeruatam imperceptibilem nonnunquam fieri, tum ob ſeri pelluciditatem, tum ob magnitudinem obiectorum per lentem ſolarem nimis auctam;
p. 32. oſſificationem arteriarum innoxiam eſſe, ſi paucas tetigerit, nec tamen ſemper, quin potius ſtaſin, gangraenam, ſphacelumque in ſene octogenario aliisque concitaſſe; denique oſtendit, a vario irritabilitatis

tatis vaſorum diſcrimine diuerſam maxime pendere fluidorum celeritatem.

Capite ſecundo cauſſas, ſanguinis naturalem diſtributionem turbantes, et inprimis peruerſam vaſorum actionem, ex morboſo irritabilitatis ſtatu ortam, perſequitur. Vitii huius, ab aliis congeſtionis, a GAUBIO et Noſtro directionis abnormis nomine inſigniti, praeter cauſſas naturalis circulationis mutatas, praecipuum fontem in irritabilitate nimia quaerit, quem plerique eretiſmum vel ſpaſmum, GAUBIUS, cuius definitionem totam amplectitur Cl. Auctor, in ſpecie irritabilitatem, appellat. Cauſſas illius occaſionales ſtimulos, etiam non morboſos; praediſponentem, non tamen ſemper neceſſariam, nimiam ſolidorum ſenſilitatem putat. Inde ſymptomata enarrat in parte, ſpaſmo affecta, occurentia, quae pro varietate partium, ſtimulorum et temporis, differunt. Monet, partem ſpaſmo affectam etiam ſolitos ſtimulos non ferre; blandiora irritamenta acrioribus eſſe efficaciora; partiumque quarumcunque irritabilitatem mirum in modum aliquando increſcere; ceterum ſpaſmos partiales euadere vniuerſales, morbosque inde ortos ad tempus remittere, neque ab eadem cauſa ſtatim reſuſcitari. Quae quidem de cauſis et effectibus nimiae ſolidorum irritabilitatis commemorata in vaſis quoque, quorum vis irritabilis vitiata eſt, locum obtinere, ex inaequalitate pulſus arteriarum diuerſis in locis eodem tempore factarum, qualis fuit virginis hiſtericae ſaepe frequens contractus, paruus, in ſiniſtro latere idem ſemper, in dextro inaequalis, dicrotus, tempore fluxus menſtrui aequalis, inde vero conuulſiuus; et porro Cl. medicorum ſententiis euinci arbitratur. Impetum ſanguinis et celeritatem immutatam, ſanguinisque motum retrogradum, deriuationemque ad varias partes a celeritate pendentem,

p. 34.

p. 36.

p. 40.

p. 43.

p. 47.

dentem, pro conditionum diuerſitate multum diſcrepare oſtendit.

p. 51. Vberius effectus et ſymptomata directionis abnormis capite tertio enarrat, exemplisque febrium haemorrhagiarum illuſtrat. Salutarem quandoque eſſe, ex fetus increſcentis ratione et menſtruis declarat, quorum cauſam, in irritabilitate vaſorum magis aucta, ex arteriarum motus inaequalitate, menſtruatarumque ſenſilitate, cognoſcenda, ponit.

p. 59. Febrem ex ſymptomatibus definit, dicitque ſingularem ſpaſmodicam omnium pene corporis ſolidorum affectionem. Duo putat eius ſtadia, in quorum primo humores ad interiora reuelluntur, in altero ad exteriora repelluntur. Veriusque ſymptomata, cum conſueta, tum rariora, recenſet, eaque, quae in primo ſtadio fiant, a nimia arteriarum, imprimis cutaneorum, ſpaſmodica conſtrictione; ea vero, quae in ſecundo contingant, a vehementiori cordis arteriarumque, quarum ſenſilitas interim aucta eſt, in congeſtum ſanguinem actione oriri; in primo ſtadio duo temporis momenta attendenda eſſe, alterum, quo, externis algentibus, interna caleant, alterum, quo medio in aeſtu ſubitum frigus oriatur,

p. 63. copioſe demonſtrat. Eadem de topicis ſic dictis febribus, cum partis dolore, pulſuque frequentiore, etiam periodice redeuntibus, diuerſaque ſtadia obſeruantibus, pariterque de morbis illis, qui licet non niſi cum leuiorum febrium ſignis, v. c. conuulſionibus, ſtupore ſenſuum etc. incedant, tamen ſemper, veluti febres, peſſariari debent; plerumque internis in partibus locum habent, primum leviter, interdum ſubito et vehementer aegros corripiunt, remittunt, ſubitoque inexpectati redeunt, vulgo protheiformibus dictis, ad quos apoplexia, peripneumonia, cholera etc. referuntur, affirmanda eſſe, cenſet Cl. Auctor, partemque, quae in

hiſce

his morbis patitur, ſpaſtice affectum eſſe, ex eo probat, quod omnis venaeſectionis et purgantium vſus plane nihil iuuet. Inter exempla eiusmodi morborum hoc ſingulare eſſe videtur, quod homo quotidie per duas quidem horas certoque diei tempore ob ſanguinem, ad neruum opticum congeſtum, perfecta amauroſi affectus fuerit. Eamdem irregularem vaſorum actionem porro etiam in moliminibus, ſic dictis criticis, bene probeque explicandis aſſumendam eſſe, luculenter probat Cl. Auctor, nec improbabile eſſe putat, quod materia excernenda ſaepe per eam partem, in qua magna irritatio et ſpaſmus cum pulſu irregulari animaduertuntur, eliminetur. Addit igitur variae criſeos ſigna prognoſtica, ex pulſu ruenda. Ad pulſum autem, ſaepe alterutro tantum carpo irregularem, cor Noſtro parum conferre videtur. Ad explicandas haemorrhagias criticas aliasque, quae pro aetatum varietate variant, nec ſemper ab ſanguinis abundantia pendent, neque tuto ſupprimuntur, eadem principia adhibenda eſſe cenſet Cl. Auctor. Praeter vaſorum tamen peruerſam irritabilitatem, neruorum irritationem, animique affectus, frequentiſſimas quoque congeſtionum, etiam habitualium, cauſſas eſſe, docet. Annectit tandem quaedam de ſymptomatis illis, quae parti, ex qua ſanguis deriuatur, eique, ad quam defertur, contingunt, monetque, ſanguinem non ſemper per diaereſin effundi, effuſumque vtique reſorberi poſſe, in ſpecie vero mala a menſtruis ad caput, pectus, vel abdomen repreſſis, oriunda, declarat, enarratque duo exempla, menſtruorum ad abdomen derivationem illuſtrantia. Primum concernit ancillam triginta annorum, quae, menſtruis a terrore ſuppreſſis, dolorem ad os ſacrum, pedum paralyſin, alui et vrinae ſpontaneum profluuium paſſa, et per venaeſectionem, laxantia, lenia emmenagoga, epiſpaſtica et balnea

p. 66.

p. 68.

p. 70.

p. 76.

p. 78.

p. 80.

pedum ſanata eſt. Alterum de alia ancilla, vigiti et quinque annorum, vitae ſedentariae aſſueta, menſtruum fluxum irregularem per ſex vel ſeptem tantum ſeptimanas habente, ob parcum hunc effluxum, dolorem ad coxas et os ſacrum, pruritum et exanthemata circa coxas, artuum inferiorum rigiditatem, mouendique impotentiam ſentiente, per venae ſectionem tamen, lenia diaphoretica, et balnea felicissime curata teſtatur. Vltimo denique loco Cl. Auctor monet, ad directionem abnormem, in his morbis explicandis, frequentiſſime quidem, non autem ſemper reſpiciendum eſſe.

Experimenta a Noſtro in canibus inſtituta, docuerant, arterias aliquando obſcure vel plane non, plerumque vero euidenter, non tamen ſemper certo per irritabilitatem contrahi; contractas vtrinque in medio tumuiſſe; varie eodem tempore pulſaſſe; poſt tremulum motum liberius, a tela celluloſa ſeparatas moleſtius moueri; diſciſſas ſanguinem non amplius fundere; breui poſt mortem nulla amplius contractionis phaenomena obtuliſſe; venas varias et ſponte et a ſtimulo ſeſe contraxiſſe, vimque electricam in arterias et cor parum, in muſculos et oeſophagum multum valuiſſe; in quadam denique cruris arteria celeriorem fortioremque pulſum cum motu plane vermiculari diu perduraſſe. Dicitur praeterea vena cauà ſuperior in quodam cane ſtatim infra hepar, ibi, vbi dextram renalem emiſerat, in duas iliacas diuiſa fuiſſe, iliaca autem ſiniſtra venam renalem eiusdem lateris reddidiſſe.

p. 92.

p. 91.

XV.

XV.

DANIELIS WILHELMI TRILLERI Phil. et Med. Doct. Consil. Aul. Elector. Sax. Med. Prof. Prim. in Acad. Witteberg. et Ill. scientiar. Bonon. sodal. Opuscula Medica ac Medico-Philologica, antea sparsim edita, nunc autem in vnum collecta atque digesta, ab Auctore ipso prius recognita, aucta, castigata et emendata. Curauit et praefatus est CAROLUS CHRISTIANUS KRAUSE Phil. et Med. Doct. in Acad. Lipsi. Anatom. et Chirurg. Prof. Publ. Extraord. Facult. Med. Assessor. Min. Princip. Coll. Collega. h. t. Praepositus. Francofurti et Lipsiae, sumpt. Io. Georgii Fleischeri 1766. 4. Vol. I. Alph. 3. pl. 2. Vol. II. cum indice Alph. 2.

Cum scriptionum, paucas chartas implentium, sors communis fere ea sit, vt post annos non ita multos vel nusquam vel certe paucis in bibliothecis reperiantur; iis profecto, qui eiusmodi scripta, sparsim edita, colligunt, et iusto volumine comprehensa in vulgus edunt, gratias habendas esse, quisque facile dabit. Haec igitur collectio dissertationum ab Ill. TRILLERO, tum ante multos annos, tum haud ita pridem conscriptorum, facile caruisset modesta illa excusatione, qua et Cl. Auctor et Cl. KRAUSE novam hanc descriptionem eidemque impensam curam, aduersus inuidentium obtrectationem, in tuto collocare studuerunt. Scriptionum enim argumenta sunt non vulgaris saporis, et a multiplicis lectionis varietate multum ornamenti et gratiae acceperunt, vt de rebus similibus commentanti fere indicis loco esse libelli ipsi possent. Neque exiguae sunt accessiones,

quibus locupletata auctaque cernimus horum ſcriptorum pleraque, maximeque priora. Eſt etiam, vbi ſermonis in aduerſarios olim dicti duritiem aliquantum emollitam animaduertas.

His praemiſſis breuiorem recenſum ſcriptorum ipſorum ſubiungimus. Primo volumini praefixa eſt Cl. Auctoris epiſtola dedicatoria ad RICHTERVM, Profeſſorum medicorum Academiam Goettingenſem ornantium principem ſcripta, pleniſſima illa prolixi amoris mutui atque amicitiae inde vsque a prima iuuentute cultae teſtimoniis. Hanc excipit Cl. KRAVSII praefatio, qua iunioribus non magis quam veteranis lectio diligentior medicorum veterum commendatur.

p. 3. Sequuntur diſſertationes Academicae, quarum *Ima* agit de fame letali ex calloſa oris ventriculi anguſtia, cuius exemplum ſingulare a ſe obſeruatum Cl. Auctor refert, ac poſtea epicriſi docte con-
p. 46. ſcripta exornat. In IIda nouis exemplis ac tribus quidem demonſtratur nociua cancri inueterati exſtirpatio, ex iisque ipſis hiſtoriis deducuntur obſeruationes practicae variae, veterumque aeque, ac recentiorum auctoritate veritas enunciati confirmatur.
p. 86. In III. pleuritidis aeſtiuae rarius occurrentis exemplum proponitur, vbi die morbi quarto ſanguis cum leuamine et ſecuta ſalute aegri ex vena miſſus fuit.
p. 107. In IVta HIPPOCRATIS ſtudium anatomicum ſingulare, locis non paucis Hippocraticis additis aſſeri-
p. 133. tur. In Vta veritas paradoxi Hippocratici, nullam medicinam interdum optimam eſſe, morborum ge-
p. 173. neribus haud paucis allegatis euicta datur. In VI corticis Peruuiani vſus ſenibus, grauidis et infantibus ſalutaris laudatur, et hiſtoriis quatuor memorabilibus confirmatur. Praemiſſae ſunt variorum medicaminum, olim famam conſecutorum, hiſtoriae ac
p. 198. fata. In VII de tumoribus ſingularibus a menſium ſuppreſſio-

ſuppreſſione obortis, dicitur, et de menſtruo fluxu, per inſolita corporis loca erumpente, docte ampliterque diſſeritur. In VIII de tabaci ptarmici abuſu ceu atroeis affectus ventriculi aliorumque morborum cauſſa, agendi anſam dedit homo quidam, qui ab abuſu tabaci ptarmici, tenuioris illius Hiſpanici, tandem in vehementiora mala ventriculi incidit, et marcore confectus, reiecto per vomitum tabaco, conualuit. In reſolutione huius caſus ſimilia ab aliis medicis obſeruata eſſe docetur. In IX mortem ſubitam, a nimio violarum odore, virgini annorum ſeptendecim illatam, et Auctori ipſi viſam, vna cum permultis eiusdem generis hiſtoriis allegatis legimus *). In X de morbo coeliaco ſingulari, A CORNELIO CELSO deſcripto, fermo fit, et CELSO verborum graecorum confuſio obiicitur, iure an iniuria hoc loco decernere non licet. In XI a Cl. Auctore, inueni admodum, conſcripta inſcribitur de pinguedine ceu ſucco nutritio ſuperfluo.

p. 22c. p. 237. p. 293.

Diſſertationibus his adiectae ſunt prolusiones academicae, quarum agmen ducunt notiſſima illa ſcripta, de veterum chirurgorum arundinibus atque habenis, ad artus male firmos confirmandos adhibitis, occaſione loci cuiusdam Suetoniani obſcuriſſimi, in vita AUGUSTI occurrentis **). Locus vexatus is apud SVETONIVM in vita AUGUSTI Cap. LXXX. legitur his verbis; *Coxendice et femore, et crure ſiniſtro non perinde valebat, vt ſaepe etiam inde claudicaret; ſed remedio habenarum et arundinum confirmabatur*; vbi Cl. Auctor *habenis* pro *harenis* legendum ſchediaſmate priori docet, et altera exercitatione ***) eademque pleniori, ſententiam ſuam aduerſus ſecus ſentientes, acriter et ſtrenue propugnat. *Exercit.* Illa de clyſterum nutrientium antiquitate et vſu diſ-

p. 317.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. p. 159.
**) vid. Comment. noſtr Vol. I. p. 63.
***) vid. ib. p. 67.

ferítur ita, vt veterum teſtimoniis hae de re experi-
p. 413. menta recentiorum iungantur. *Exercit.* IV de pityriaſi veſicae, ad corruptum quendam CAELII AURELIANI locum illuſtrandum et emendandum, Locus ille L. V. de morbis chronicis C. IV. ſic ſe habet: *In veſica ſpeciales plurimas paſſiones euenium, tumor, collectio, vlcus, duritiesque φθειρίασις* etc. vbi A. πιτυρίασις ſeu πιτύρισμα legendum eſſe putat, vt adeo veſicae quaedam furfuratio ab CAELIO
p. 431. commemorata videatur. *Exercit.* V de gibbo ex nephritide potius, quam ex phrenitide orto, ad HIPPOCRATEM atque CAEL. AURELIANUM illuſtrandum et emendandum. Exſtat locus is L. V. Epid. p. 785. edit. LIND. et vulgo legitur ſic: Τῷ παχυίῃ ἐν ἀκανθῳ τὸ κύφωμα ἐκ φρενιτιδος ἐγένετο etc. vbi lectio, quam REINESIUS κύφωμα pro κύφωμα legens propoſuit, quaeque multis placuit, reiicitur, et huius loci vitium in voce φρενιτιδος latere, pro eaque νεφριτιδος legendum eſſe, pluribus
p. 463. ediſſeritur. *Exercit.* VI de ſcarificatione et vſtione oculorum, ab HIPPOCRATE deſcripta habet multa
p. 485. ſcitu digniſſima; et in VII huius efficacioris medicinae hiſtoria, antiquitas et origo perdocte et ſolertiſſime exponuntur, atque WOOLHOVSIO falſa interpretatio textus Hippocratici obiicitur. *Exer-*
p. 496. *cit.* VIII de remediis veterum coſmeticis eorumque noxis tractatur, et veterum tum medicorum, tum aliorum auctorum declamationes in peſſimum abvſum ſupercilia capillum, et cutem colore alieno in-
p. 508. ficiendi allegantur. *Exercit.* IX PLINII locus famoſus ille: *Atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori*, exponitur, additisque aliorum interpretationibus ſententia Cl. Auctoris addacitur, atque PLINIVS per *ſapientiae* morbum ſolam veram phrenitidem a *crocidiſmo* et *carphologia* ſemper comitatam intellexiſſe dicitur. Exercit. X loci eiusdam Hippocratici

platratici, haſtenus obſcuriſſimi, ex lib. VII. de morb. p. 534
epid. extrem. explicatio, de menſibus, per nares *Leo-*
nidae filiae erumpentibus, ab imprudenti autem me-
dico cum ipſius interitu infeliciter repreſſis, feliciter
tentatur. *Exercit.* XI de vino modico, hypochon- p. 534.
driacis ſalutari, ad ſacrum locum 1 Timoth. V, v. 2. 3.
nonnihil illuſtrandum quaedam afferuntur. *Exerc.*
XII de macie corporis, ex obſidione contracta, ad
quendam GALENI locum, a magnis criticis fruſtra
tentatum, illuſtrandum et vindicandum. Locus is
legitur in Comment. I. in HIPPOCRATEM, et ſic
ſe habet: Ὅτε διὰ λιμὸν, ἢ διὰ πολιορκίαν etc. et in
eodem eiusque vulgata lectione CAGNATVM, MY-
RETVM et REINESIVM ſine idonea ratione hae-
ſiſſe demonſtratur. *Exercit.* XIII de planta quā-
dam venenata eiusque furioſo effectu λυσσοδῆ, co- p. 556.
piis Antoniauis olim exitiali, ad illuſtrandum quen-
dam APPIANI locum in Parthicis p. 110. edit. H.
STEPHANI compoſita eſt, atque aliorum ſententias,
ea de planta collectas, exhibet, nec addit nouam
quandam, ſed rem in dubio relinquit.

Volumine IIdo continentur poſt epiſtolam de- Vol. II.
dicatoriam, ad Virum Ill. GEORG. HENR.
AYRERVM, Iurium Profeſſorem Goettingenſem
datam 1) diſſertatio epiſtolaris, IO. GOTHO-
FREDO HAMNIO dicata, tum prima tum alte- p. 1. p. 13.
ra, de anthracibus et variolis veterum. Vtraque
WERLHOFII obiectiones, aduerſus hypotheſin
HAHNII, ingenioſam illam prolatas, diluere Cl.
Auctor ſatagit, neque oſtendit, quem admodum ni-
hil eſt, quin male narrando poſſit deprauari, ita
nihil eſſe, quod bene dicendo non poſſit vero ſimile
fieri. 2) Exercitatio botanico-philologica de p. 87.
moly Homerico ſet fabula circaea, quae eſt pri-
ma omnium, ab Cl. Auctore in vulgus editarum. 3)

p. 84. Diſceptatio inſcripta: HIPPOCRATES atheiſmi falſo accuſatus contra N. H. GVNDLINGIVM; cui acceſſit Ill. Auctoris reſponſio ad obſeruata IO. CLERICI in libello, de atheiſmo HIPPOCRATIS, Biblioth. antiq. et hodiernae. T. XV. Part. 2. 4)

p. 178. Epiſtola medico-critica ad IO. FREIND, ſuper primo et tertio HIPPOCRATIS Epidemicis, nu-

p. 238. per ab ipſo editis. 5) De noua HIPPOCRATIS editione adornanda, commentatio; qua animum aperit atque ſimul ad ſymbolas conferendas eruditos inuitat Cl. Auctor, et ſpeciminis loco libellum de anatome recenſuit, emendauit, et commentario medico critico perpetuo illuſtrauit. Vtinam tandem aliquando opus iſtud tam diu exſpectatum in vulgus ederetur! Nam quae in modo commemoratis commentationibus Cl. Auctor eruditiſſime diſſeruit, omnibus Hippocraticorum operum aeſtimatoribus

p. 286 ſaluam mouere iam pridem. 6) De mira naturae ſolertia in reparandis damnis corpori animato illatis diſſertatio *); quae collectas vndique obſeruationes ſuper hac re continet, et duas ſingulares et mirandas adiicit, alteram de reparata magna caluariae parte in homine labe venerea miſerrime afflicto, alteram de callo in oſſis tibiae deperditi locum renato.

p. 308. 7) CHRISTOPHORI MOLINARII et D. W. TRILLERI epiſtolae mutuae de vera exanthematum miliarium differentia, diuerſoque eorum effectu et euentu. Cl. MOLINARIVS tum, cum de miliarium indole et tractatione diſputationes inter medicos Viennenſes feruerent, libellum de miliarium exanthematum indole et tractatione conſcripſit, eundemque ad Ill. Auctorem noſtrum miſit, vt eius de ſuis obſeruatis iudicium eliceret. Aſſentitur Ill. TRILLERVS Cel. MOLINARIO, atque exanthemata miliaria non raro critica eſſe, neque ſemper

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVI. p. 346.

ſemper medicorum, intempeſtiue ſedulorum, opus eſſe liquido demonſtrat. Hanc diſſertationem, antea non euulgatam, ſequitur proluſio academica de eodem argumento, antea iam edita, nunc iterum deſcripta. Poſtrema tandem huius voluminis ſcriptio eſt de *cultu Iſidis*, deae etiam ſalutaris et medicis ſacrae, apud veteres Germanos, exercitatio hiſtorico philologica, ad Virum Ill. IO. GOTTLOB BOEHMIVM, Profeſſorem hiſtoriarum apud nos Inclytum conſcripta, antea non deſcripta; qua et Iſidem a priſcis Germanis cultam eſſe docetur, et gemma quaedam Aegyptiaca rariſſima, inter theſauros PEIRESCII olim reperiunda, erudite illuſtratur. p. 326.

XVI.

FRIEDRICH CASIMIR MEDICUS *Churf. Pfälz Garniſonsphyſic. in Mannheim, Stadts und Amtsphyſicus zu Frankenthal und Frensheim, der Röm. Kayſerl. Acad. der Naturforſcher; der Churmainz. Academie nützlicher Wiſſenſchaften Mitglieds, Geſchichte periodiſcher Krankheiten, Erſtes und zweytes Buch. Carlsruhe, druckts und verlegts Michael Macklot, 1764. 8. Seit. 360. ohne Zueignungsſchrift, Vorbericht und Innhalt.*

i. e.

Hiſtoria morborum periodicorum. Liber primus et ſecundus. Auctore FREDERICO CASIMIRO MEDICUS.

Largimur lubenter Cl. MEDICO, ſe eſſe primum, vti in praefatione legimus, qui in ſyſtemate horum morborum, qui non adeo rari ſunt, vti videntur primo intuitu, condendo verſatus ſit, magnasque Cl.

Auctori habemus grates, pro singulari studii assiduitate, quam in hoc libro conficiendo ostendit. Vtilissimum itaque hoc opus vt pateat, Nostris Lectoribus, instituti rationem Cl. Auctoris reddamus et modum, quo compositus est hic liber breuiter tradamus. Constituit nimirum Cl. MEDICVS secum, hanc obscuram, confusam multisque prorsus incognitam rem ordinare tribus sectionibus. Quarum prima historiam morborum periodicorum complectitur, altera systema eorum concernit, et tertia applicationem huius systematis in singulis aegris spectat.

In prima itaque sectione historia multorum morborum periodicorum, a veteribus aque ac recentioribus medicis fide dignis obseruatorum et ita a Nostro collectorum vt facile quis eos intelligat eorumque notionem sibi claram reddat, Auctoresque ipsos, qui Nostrum instruxerunt, consulere queat, breuiter a Cl. MEDICO traditur. Astronomicas rationes, vt influxum lunae et solis, cet. si reperit in Auctoribus, omisit Noster, et solummodo ad dies reduxit. Nec non illos morbos periodicos, qui indefinitis temporibus apparebant, quantum fieri potuit, neglexit et accuratius ad eos, qui definito tempore veniebant, respexit.

Altera sectio attinet systema horum morborum periodicorum, quod eo redit, vt multa haec, diuersissima profecto, symptomata species sint generis, et vt ventriculus et intestina ac in iis contentae impuritates, praecipua horum morborum deprehendantur caussa. Ita enim omnes occultas causas, quas multi in plenilunio, nouilunio etc. quaesiuerunt, Cl. Auctor neglexit atque viam sibi pandit ac medicis clinicis, ad methodum his morbis medendi stabiliendam atque exercendam.

Hanc vero in tertia sectione, quam auide et proxime exspectamus, Cl. Auctor ita tradere pollicitus est,

est, vt, singulis morbis periodicis perfunctis, applicationem systematis aeque, ac curationis in iis monstraret. Ac inprimis operam nauabit Cl. Auctor demonstrandi, causam proximam horum morbum latere in abdomine in eoque contenta materia peccante, quoniam tum curatio eo facilius ac certius potest institui.

Summa itaque harum trium sectionum accurate proposita, ad priores duas, quae iam ad manus nostras peruenerunt, progredimur, nonnullasque res ex iis, exempli loco, breuiter cum nostris Lectoribus communicamus.

Morbi periodici constant ex multis diuersisque symptomatibus, quae commodum eo conueniunt, vt stato tempore ac fine febris appareant. Vtrumque itaque, tempus nimirum definitum et febris absentia sunt essentiales morborum periodicorum characteres, ad quos Cl. Auctor quoque, in historia eorum tradenda, potissimum respexit. Ordo autem, quem Noster secutus est in colligendis historiis, in eo cernitur, vt primum, eos morbos, qui totum corpus male afficiunt, dein eos, qui caput praecipue tangunt, tertio eos, qui pectus occupant, quarto eos, qui abdomini sunt molesti et tandem eos, qui extremitatibus inferioribus atque superioribus incommoda afferunt pertractet. Ita inter vniuersales morbos periodicos referuntur apoplexia, epilepsia, tetanus, morbi soporosi ac omnino spastici, etc. inter particulares cephalalgia, vertigo, morbi oculorum, pharyngis et laryngis, pulmonum, ventriculi et intestinorum, viscerum abdominalium ac tandem morbi extremitatum. Lib. I. p. 3.

Ad definitionem morborum periodicorum, non diu multo ante commemoratam, quae in secundo libro legimus, hic addemus. Tenent nimirum hi Lib. II. p. 197.

morbi

morbi quoque paroxyſmum certum, atque internallum definitum, quo aeger omnibus moleſtiis vacat. Porro Cl. Auctor cum multis Auctoribus, vt RICHARD. MORTON, THOMA SYDENHAM, GERARDO VAN SWIETEN, SENAC, IOANNE MVXHAM, WERLHOF, ANTONIO STOERCK, IOSEPHO LAUTER aliisque, magnam horum morborum periodicorum cum febribus intermittentibus ſentit affinitatem et refutat praecipue Cl. MORTON, qui malignas febres intermittentes et periodicos morbos confudit. Nec minus ſolet fieri, vt febres intermittentes ſequantur periodici morbi ſeu vt hi illis ſuccedant. Plerumque ſymptomata periodicorum morborum et cum febribus intermittentibus apparent. Intermilla vtrique conueniunt. Vtrinque obſeruari potuit vrina cum ſedimento lateritio rubro. Tandem et methodus medendi his morbis prodit hanc affinitatem.

p. 223. Tum febres periodicas perſequitur Noſter, et earum ſpecies conſtituit, nimirum febres intermittentes ſimplices et duplicatas, febres malignas intermittentes, morbos periodicos et tandem morbos, qui ex imperfecta praecedentium morborum cura proficiſcuntur.

p. 233. His conſideratis, diuiſionem morborum periodicorum proponit Cl. MEDICUS. Ac primum quidem hos diuidit in eos, quorum paroxyſmus, praeter neceſſaria ſymptomata, omnibus aliis ſymptomatis vacat. Dein huc pertinent ii, quorum paroxyſmus, praeter neceſſaria et morbo communia ſymptomata, cum febre, debilitate aliisque eſt coniunctus. Sed monet quoque Cl. Auctor, raro hos periodicos morbos cum febre apparere, ac ſi accidunt, illi inter periodicos ac intermittentes medii morbi eſſe videntur. Quapropter et haec ipſa diviſio Noſtro diſplicet.

Progre-

Progredimur cum Noſtro ad ſigna horum morbo- p. 242.
rum periodicorum. Ac primum eſt ipſe paroxyſmus, qui inopinato venit, per tempus ſtatum durat, et intervallo praeterito redit. Alterum eſt paroxyſmi reverſio. Tertium eſt epidemia horum morborum. Quartum vrina cum ſedimento *). Reliqua ſigna, cum et aliis morbis ſint communia, Noſter omittit.

Praemiſſis variis morborum periodicorum cauſſis p. 260,
a Cl. MEADIO aliisque prolatis iisque occultis, ad claras potiſſimum cauſſas declarandas ſeſe Noſter accingit. Primae viae ſunt ſedes horum morborum. Prima itaque cauſſa eſt praeternaturaliter aucta harum viarum irritabilitas. Secunda bilis. Tertia viſcidum. Quarta digeſtio laeſa. Vltima, vermes. Plerumque quatuor reliquae cum prima ſunt coniunctae, ſaepenumero autem harum ſingula tantum periodicos morbos inducit. Quamquam modus, quo periodici morbi ex his quinque cauſſis poſſint oriri, maxime incognitus eſt, tamen experientia ortum horum morborum declarat. Naſcuntur ſcilicet morbi periodici ex abdomine, ac potiſſimum ex ventriculo et viſceribus, ſiue ope ſolius conſenſus, quem hoc cum reliquis corporis humani partibus habet, ſiue obſtructione, a materia peccante facta. Conſenſum vniuerſalem totius corporis ponit cum aliis phyſiologis Noſter in coniunctione vaſorum ſanguiferorum, continuatione membranarum, ſtructurae variarum partium corporis ſimilitudine, nervorum propagatione et in contextus cellularis fabrica. Sympathia itaque canalis inteſtinalis et viſcerum abdominalium cum omnibus corporis humani partibus morborum periodicorum proxima et communiſſima eſt cauſſa, rarior obſtructio, a materia morboſa profecta.

Redeamus ad cauſſas morborum periodicorum de iisque pauca annotemus. Saepenumero morbos periodicos

*) vid. ſupra p. 92.

periodices iuuant roborantia et motus, et tum eorum cauſſam quaerit Noſter in aucta irritabilitate
p. 289. primarum viarum. Bilis abundantia, licet et alio modo corrupta, potiſſimum morbis periodicis generandis inſeruit. Non ſemper vero vitium hepatis adeſſe in iis, cadauerum inciſio Noſtrum docuit.
p. 291. Viſcidi diuerſitas in tenacitate partim, partim in acrimonia, quae in eo eſt inuolata, cernitur. Pertinet huc viſcidum verminoſum, terreſtribus particulis ſcatens, et tenax illa pituita, quae non ſolum viſcera onerat, ſed obſtructionibus variis oriundis occaſionem praebet. Hic a Noſtro potiſſimum vomitoria praedicantur, quae et in digeſtione laeſa conducunt, ſiue nimia repletione, ſeu cibis, ſibi contrariis, aſſumtis, profecta eſt.
p. 310. Tandem admodum his morbis medendi venit Cl. Auctor, quam hic generalem proponit, ſpecialem differt ad tertium librum, cuius ſummam iam ſupra *) dedimus. Cauſſis itaque, antea commemoratis, nititur cura, quae primum in euacuandis impuritatibus infimi ventris, dein in iuſta eiusdem irritabilitate reſtituenda, ſeu roborando infimo ventre, ac tandem in obſtructionibus reſerandis ſpectatur. Iam primum quidem poteſt praeſtari vomitoriis, laxantibus et purgantibus, clyſmatibus, inunctionibus abdominalibus et vermibus enecandis et expellendis. Inter vomitoria leniora principatum Noſtro videtur tenere ipecacuanha, cuius corticem medullae praefert, inſuperque laudat CAROLUM GIANELLAM, qui hanc radicem infundit cum aqua feruida et per noctem digerit leni igne, illudque infuſum per partes vſque ad vomitum aegris propinat. Inter vomitoria fortiora, quae citius vomendi effectum praebent, numerat tartarum emeticum, nec non vitrum antimonii ceratum.

Durs

*) vid. p. 90.

Dum laxantia a Noſtro diiudicantur, laudatur p. 323.
inprimis, ad bilem nigram eliminandam, magneſia
cum cremore tartari, omninoque ſuadet, primas
vias ſubinde purgare, interpoſito cortice Peruuiano.

Inunctiones abdominis fiant in regione vmbilici. p. 331.
Inter remedia, hic pertinentia, maximam Noſtro
mereri videntur attentionem oles, ac interea, oleum
oliuarum. Ceterum aloe cum vnguento de ar-
thanita coniungi poteſt, et Noſter oleum oliuarum
cum vnguento de arthanita omnibus reliquis inun-
ctionibus tum praefert, cum vomitoria, laxantia ac
clyſmata adhiberi nequeunt.

Ad vermes enecandos et expellendos internus p. 338.
olei oliuarum vſus atque cortex Peruuianus praeter
ea, quae habet GUALT. VAN DOEVEREN *)
a Noſtro proponuntur. Oleo nimirum per octo
decemue dies vſurpato, purgans eſt exhibendum.

Dein ad irritabilitatem imminuendam cortex p. 342.
Peruuianus optime conducit, qui reliquis roboran-
tibus medicamentis a Noſtro anteponitur, impuri-
tatum primarum viarum, plethorae ac omnino flui-
darum et ſolidarum partium habita ratione. Ita
enim corticis vſui praemittit Noſter venaeſectionem,
in plethora, ſeu in reſolutis humoribus atque putri-
dis cum acidis eum coniungit. In viſcido addit cortici
reſoluentia, leniter abſtergentia, vt radicem aronis,
pimpinellae, rhabarbari, ſalis media. Si ſanguis ſero
abundat, crebriorem vſum cremoris tartari amat
Noſter, quippe quo illius abundantia, ſero per
vias vrinarias euacuato, optime imminuitur.

In ſolidorum rigiditate et neruorum nimia p. 351.
tenſione opium inter corticis vſum ſuadet Noſter, et
in laxitate motum cum SYDENHAMO, quem et
omnino, cortice adhibito, ſumme neceſſarium iu-
dicat.

*) De vermibus inteſtin. homin. L. B. 1753. 4. p. 67.
v. comment. noſtr. Vol. III. p. 447.

dicat. Tandem ad corticis Peruuiani quantitatem Noſter venit, et aegris eſſe propinandas doſes fortiores cum aliis medicis autumat.

p. 354. Nec minus conducunt, ad irritabilitatem ventriculi auctam imminuendam, carminatiua medicamenta. Cortex licet praeſtantiſſimum ſit ſtomachicum, tamen ille cum carminatiuis eſt coniungendus, ſiue haec ſola, cortice ſepoſito, ſunt exhibenda. Carminatiua, quae a Noſtro approbantur, ſunt aurantia, cortex citri, piper, pulueres ſtomachici ex abſorbentibus terreis, radice aronis, nonnullis ſtibii praeparationibus et ſalibus mediis.

p. 360. Motum tandem Noſter affirmat mederi morbis periodicis ac ſuis partim, inter quos epilepſiam periodicam per motum lenem, quotidianumque curatam memoramus, partim aliorum confirmat obſeruationibus. Varia itaque motus genera hic perſequitur eumque definit pro diuerſitate aegrorum ac morborum, eos affligentium varietate.

p. 369. Materiam obſtructam in loco affecto liberare optima Noſtro videtur medendi methodus. Quemadmodum hanc methodum citam et veram, ſic eam per remedia interna reſoluentia diſcutientia aliaque tardam ac dubiam iudicat. Quapropter quoque ea tantum remedia, quae materiam confeſtim e loco affecto eliminant, hic recenſentur, quorum vſum et applicationem vberius in tertio libro oſtendere pollicetur Cl. MEDICUS. Optima vero atque conuenientiſſima remedia ſunt: hirudines, ſcarificatio, veſicatoria, ac in locis piloſis, pilorum tonſio,

XVII.

De la conſervation des enfans, ou les moyens de les fortifier, de les préſerver et guérir des maladies, depuis l'inſtant de leur exiſtence, juſqu'à l'âge du puberté. Par Mr. RAULIN, Docteur en Médécine, Conſeiller Médécin ordinaire du Roi, Cenſeur Royal, de la Société Royale de Londres; des Académies des belles lettres, ſciences et arts de Bordeaux et de Rouen, & de celle des Arcades de Rome. Tome prémier. A Paris, chez Mertins Libraire, 1768. 12. mai. Alph. 1. plagg. 3. cum praefatione plagg. 1.

i. e.

Cl. RAULIN de cura infantum. Tomus primus.

Statum infantum in quatuor epochas Cl. Auctor diuidit, quarum prima a momento conceptionis vſque ad partum, ſecunda a partu vſque ad tempus ablactationis, tertia ab hoc tempore vſque ad ſeptimum annum, et quarta denique ab hoc vſque ad terminum pubertatis extenditur. Harum epocharum theoria priora quatuor volumina conſtituet, quam totidem voluminibus praxis illarum excipiet, ita, vt curatio morborum epochae primae in volumine quinto, ſecundae in ſexto cet. pertractanda veniat. Ipſe autem hic tomus primus, qui noſtris nunc in manibus eſt, duo iam, ſi ſtrictius loqui velimus, volumina, ſiue duas partes ſiſtit, quae ſolam theoriam epochae exhibent: ex operis ſtaque idea clare perſpicimus, nos illud ſatis amplum ac prolixum exſpectare debere.

Quinque primus hic tomus ſectiones continet, quarum prima in generationis hiſtoriam, ſecunda accidentia, quibus embryo in formatione primaque euolutione obnoxius eſt, tertia morbos grauidarum, quarta morbos, fetui communicabiles atque ipſi proprios, quinta morbos, a grauiditate ipſa ortos, et par-
P. I. tum naturalem pertractat. Poſtquam Cl. Auctor in primo capite varia generationis ſyſtemata recenſuerat, in ſecundo fetum ex ouo tam vegetabili, quam animali conſiderat, vbi tamen mirabamur, cum ad probandam ſexus plantarum differentiam ſolius fere
p. 34. PLINII, aliorumque veterum, aut tamen illorum praecipue, auctoritati Cl. Auctorem inniti videremus, nulla prorſus acceſſionum, quae in hac re phyſicae noſtro tempore factae ſunt, mentione iniecta. Id tamen in toto decurſu operis poſtea obſeruauimus, Cl. Auctorem iuſto parcius inuentis recentiorum vſum fuiſſe, vt adeo cuipiam tantummodo inſtar omnium SCHURIGII embryologiam conſuluiſſe et adhibuiſſe, quam quippe paſſim allegat, vi-
p. 36. deri poſſet. Recentior hiſtoria oui, quod gallus peperit, fuſe enarratur, quod tamen Noſter ipſe
p. 40. non vidit. In capite tertio ſuam de generatione ſententiam exponit, quae in eo conſiſtit, vt fetum, in ouulo materno iam delineatum, ſtatuat, non tamen prius, quam fecundatus fuerit, euoluendum. Poſtquam igitur de ſeminis indole expoſuit, monſtrat, non illud ipſum, ſed halitum quaſi ex illo volatilem tantum ad fecundationem requiri, licet ea argumenta, quibus ad id probandum vtitur, non vnius eius-
p. 67. demque valoris eſſe videantur. Caput quartum ſucp. 78. ceſſiuum incrementum fetus deſcribit, quintum placentam, funiculum vmbilicalem et membranas, harumque partium vſum diſquirit, et ſextum de nu-
p. 96. tritione fetus exponit, quam etiam a liquore amnii
p. 121. praeſtari Cl. Auctor exiſtimat, non deglutitionis quidem

quidem negotio, ſed quod ipſe in os, oeſophagum, ventriculum et inteſtina fetus, in aequilibrio ſecum exiſtente, ingrediatur, adeoque, ne canales iſti collapſi conglutinentur, impediat. Fetum praeterea ab humore gelatinoſo nutriri ex eo probat, quod tenera embryonis ſtructura in aqua tepida penitus in maſſam viſcoſam et pellucidam mutatur. Caput ſeptimum diſcrimen inter grauiditatem veram et ſpuriam determinat, ad quam poſteriorem claſſem fetus ouariorum, tubarios, molas cet. amandat. In capite octauo de ſignis conceptionis et verae grauiditatis agitur, et ita ſectio prima finitur. p. 122. p. 125. p. 131.

Secundae ſectionis caput primum notionem conceptionis ſpuriae et irregularis euoluit. Iis contradicit Cl. Auctor, qui in molis ſe cauitates, humore feroſo lymphatico plenas, eique innatantes embryones paruulos tabefactos conſpexiſſe putarunt, hasque cauitates nonniſi hydatides, et corpuſcula iſta falſum germen, vegetatione maius volumen nactum, eſſe aſſerit. Poſtmodum monſtra vegetabilia cum monſtris animalibus comparat, vbi tamen de doctrina recentiorum nihil prorſus additur, ne ipſius quidem HALLERI mentione facta. De vi imaginationis maternae in mutando fetu iudicium ſuum ſuspendit, curioſam tamen omnino, ſi fides eidem habenda, hiſtoriam porcelli monſtroſi memorat, cui proboſcis elephantinus, cornu in medio oſſis frontis, dimidium corpus ſquamis, crocodili ad inſtar, obductum, cauda et pedes poſtici porcinis, antici autem manibus hominis ſimiles fuerint, quam deformitates figurae, aeri inciſae, quae in loco, vbi porci plerumque commorabantur, poſita erat, adſcripſerunt, quae pugnam rhinocerotis cum elephante, et ſpectantem hanc ſimiam, in arbore ſaltantem, repraeſentabat. Caput ſecundum cauſſas remotas conceptionum ſpuriarum, irregularium ac debilium exa- p. 141. p. 145. p. 146. p. 159. p. 163. p. 165.

minat, quae cum in matre poſitae ſunt, nempe nutritio peruerſa oculi, quod prima ſtamina embryonis continet, a debiliori et delicatiori conditione matris profecta, regiminis vitia, affectus animi vehementiores, vitia localia, fluor albus, matrimonia praecocia; tum in patres, vbi ſimul, digreſſione facta, Cl. Auctor de ſimilitudine parentum et liberorum diſſerit, eiusque cauſſam, EMPEDOCLE duce, in vi et actiuitate liquoris prolifici ponit, indeque, quantum ſemen malae indolis, nimisque profuſum aut intempeſtiua nimis venus, animique effectus, ratione patris, ad conceptionem minus bonam confe-
p. 188. rant, ſolide demonſtrat. A qua tractatione capite tertio commode tranſit ad fontes morborum haereditariorum, in fetibus conſpicuorum, quos tamen fuſius perſequi breuitas nos prohibet. Vitia tam ſolidarum, quam fluidarum partium tum matris, cum pa-
p. 198. tris hic conſideranda ſunt. Interdum morbus haereditarius ſuppreſſus videtur, et ſucceſſiua generatione rurſus euoluitur, quod inprimis phthiſeos pulmonalis exemplo monſtratur. Vberiorem autem, de differentia horum morborum, expoſitionem in po-
p. 206. ſterum ſibi reſeruat Cl. Auctor, et in ſequenti capite remedia generalia ad praecauenda eiusmodi vitia conceptionis, qualia in capite ſecundo pertractauit, examinat. Haec mutuam ad cauſſas iſtas, ſuperius expoſitas, relationem habent, ideoque iis adaptanda ſunt; vbi plurima in vſum vocare conuenit, quae Cl. Auctor in libro, a nobis nuper indicato *)
p. 228. propoſuit: optimum denique conſilium foret, quod in fine tractationis Cl. Auctor dedit, vt morbo haereditario affectae, matrimonio prorſus interdicerentur.

Sectio

*) Traité des fleurs blanches, vid. Comment. noſtr. Vol. XVII, p. 28 ſq.

Sectio tertia, quae in altera vsque partem primi huius tomi extenditur, in capite primo generatim de morbis grauidarum exponit. Etiam ii, qui ipsis superueniunt, neque vero a grauiditate ipsa ortum trahunt, maioris tamen periculi sunt, cum ratione matris, tum fetus. Inde etiam a chronicis matris morbis idea morborum connatorum patet. Morbi autem grauidis proprii in tres periodos diuidi possunt, quarum singula tres menses complectitur. Caput secundum causas generales horum morborum, neque in sola cessatione fluxus menstrui, neque in dilatatione vteri, sed in debiliori constitutione corporum, omnibusque ideo causis, quibus ea inducitur, poni debere ostendit, inde in capite tertio causas particulares morborum sub initio grauiditatis expenduntur. Quum in duobus primis mensibus fetus nonnisi vapore tenui ex fluidis matris nutriatur, nondum stabilita communicatione vasorum inter fetum et matrem, necesse est fluida ista, maxime in corpore debiliori, parte adeo subtili subtracta, mutationes omnino insigniores producere, et in hac causa Cl. Auctor maius, quam in suppressione mensium in se spectata, momentum ponit. Appetitus, alimentorum acrium et duriorum mollitiem quamdam seu debilitatem ventriculi arguere videtur, quae alimenta, refocillando robori viscerum digestionis idonea, efflagitet. In grauidarum, quae sub initio grauiditatis de cardialgia multum conquestae et subito mortuae erant, cadaueribus numquam peregrini quid in ventriculo Cl. Auctor inuenit, sed ruborem phlogisticum, totum circuitum interium orificiorum occupantem, vidit: inde eam saepe spasmodicam, causis in aliis partibus haerente, declarat. Quae enim a pituita aliisque cruditatibus, in ventriculo et duodeno collectis, proficiscitur, aut flatulentia, mitioris fere indolis sunt. Copiosior est haec de

p. 230.

p. 234.

p. 236.

p. 239.

p. 244.

p. 248.

p. 255.

p. 258.

cauſſis cardialgiae et aſthmatis in grauidis, tractatio,
p. 267. quam quae paucis poſſit contrahi. Agitur poſtmodum de cauſſis variarum doloris ſpecierum, quos grauidae ſuſtinent, et quantum vterus ad eos conferat, declaratur, brutaque facilius grauiditatem ferre, quia vitae ratione ſimpliciore vtuntur, oſtenditur.
p. 272. Singultus vel a deprauata digeſtione, quod frequentiſſimum eſt, vel a membranis ventriculi, congeſtis humoribus male affectis, vel a diaphragmate, aliis a cauſſis in conſenſum ducto, v. c. ob infarctum vi-
p. 274. ſcerum cet. oritur. Vertigo vt plurimum cauſſis, ex
p. 275. viis digeſtionis ortis, adſcribendus eſt. Poſtmodum de variis ventris fluxibus in grauidis ac teneſmo diſſeritur et a deprauato earum, chyloque vitiato inde producto, horum incommodorum origo deriuatur.
p. 291. Fluxus menſtruus, durante grauiditate adhuc ſubſiſtens, vel plethorae ſanguineae, vel relaxationi vaſorum adſcribi debet. Prior ſaepe ſalutaris dici meretur; poſterior abortus frequentior cauſſa exiſtit. Id tamen omittendum non eſt, ſi fetui ipſi iniuria
p. 295. facta fuerit, etiam hunc incommodum illud produ-
p. 296. cere poſſe. Cachexia deprauatam chyli elaborationem ſequitur. Lipothymiae et ſyncopes diuerſi gradus in genere diſſolutionem plus minus inſignem partis rubrae ſanguinis, et penuriam liquidorum,
p. 301. maſſam ſanguineam conſtituentium, pro cauſſa agnoſcunt, quam ergo a variis cauſſis praediſponentibus originem ducere in propatulo eſt.
p. 302. Morbi in altera periodo grauiditatis, ab initio nempe quarti ad finem vſque ſexti menſis, oriundi, in capite quarto ſiſtuntur, ſunt enim ex morbis primae periodi quidam, qui nunc ceſſant, alii contra
p. 305. ſubſiſtunt, dum cauſſae eaedem adhuc agunt. Proprii autem huic periodo a dilatatione vteri, compreſſione viſcerum ab eo, et pondere eius partibus admoto, cum quibus aut mediate aut immediate communi-

communicat, pendent. Ita tuſſis vel ab humoribus acribus tracheam irritantibus, vel a ſitu fetus elatiore, pulmones mediate comprimente; palpitatio cordis a turbato ſanguinis in abdomine circulo, et a viſceribus abdominis compreſſis quamplurima alia ſymptomata proueniunt. p. 306. p. 308. p. 309.

Ab iisdem cauſſis, ſed inſigniter adhuc auctis, morbi grauidarum in tertia periodo oriuntur, v. c. incontinentia vrinae, alui obſtructio, haemorrhoides, oedemata et varices cet. Profluuium aquarum, liquorem amnii mentientium, quod interdum aliquot hebdomadas ante partum accidit, pro hydrope ſpurio vteri habendum eſt. Examinatis nunc morbis grauidarum, in tribus ſubſequentibus capitibus de effectibus, qui inde in fetum redundant, diſſeritur; quos tamen cum ita comparati ſint, vt facile ex cauſſarum cognitione fluant, mittemus, nec niſi hiſtoriae cuiusdam mentionem faciemus, quam Cl. Auctor ipſe experP. II. p. 313. p. 321. p. 370 tus commemorat. Meretrix, ſexto grauiditatis menſe a diſſolutis hominibus vehementer fuſtigata et acuum maiorum puncturis vulnerata fuit, ita, vt harum laeſionum veſtigia hinc inde in corpore apparerent: Quindecim diebus elapſis, fetum mortuum partu enixa eſt, qui eadem veſtigia iisdem in locis conſpiciendi offerebat, cetero corpore per totam ſuperficiem ſugillato.

Caput nonum noxas ex regimine peruerſo, durante grauiditate, generali cauſſa morborum grauidis propriorum, enumerat, eoque modo ſubſequentibus tribus capitibus viam parat, quae remedia ad morbos iſtos, in diuerſis grauiditatis periodis, docent. Caput itaque decimum primo integram diaeteticam grauidarum proponit, regulas nimirum de aere, victu, potu, motu corporis, veneris exercitio, animi affectibus, excretionibusque inſtis limitibus ſeruandis, et poſtmodum de auxiliis, ab arte repetendis, p. 372. p. 376 p. 408.

repetendis, agit, quae cauſis accommodari oportet, ita, vt morbi, a plethora ſanguinea et rigiditate ſolidorum extimeſcendi, ſanguinis miſſionem proportionatam, balnea, potum diluentem et in genere victum lenem et humectantem; ii, qui a teneritate corporis, debilitate fibrarum, et fluidorum ad reſolutionem propenſione, oriri poſſunt, tonica et roborantia debita cum cura vſurpanda, et pro rei varietate varianda, item incraſſantia et id genus alia poſtulent. Si ſolida irritabilia ſunt, nocent adſtringentia quaelibet, et liquor anodynus mineralis, ex aquis amaris aut aromaticis guttatim ſumtus, melius conuenit; idem fere theriaca vetus praeſtat. Simili modo in ſubſequentibus reliquis duobus modis morbos in grauiditatis ſecundo et tertio ſtadio praevertendi oſtenditur. Quantum noxae a thoracibus, ex virga balenaria confectis, feminis, vtero gerentibus, oriatur, prolixe docetur. Vbi de determinanda ſede cauſſae conuulſionis agit Cl. Auctor, feminam quandem refert, per longum tempus frequentiſſime dolore colico, cum motibus ſpaſmodicis totum per corpus ſe extendentibus ſtipato, affectam qui dolor cum in exiguo ſpatio determinato verſus regionem lumbarem dextram oriretur, vrinaque purulenta eſſet, videbatur ſubeſſe vlcus in veſica aut in vreteris ea parte, quam ſenſatio indicabat; conſtanti tamen vſu balneorum et ſedantium neruinorum morbus penitus ſublatus eſt. Balneorum multiplicem in grauidis vſum et neceſſitatem abunde laudibus extollit, niſi ſtatus relaxatus ſolidorum vel in vniuerſum, vel vteri ſpeciatim, ea prohibeat, quo etiam in caſu venaeſectioni locus non eſt, niſi infarctus vel congeſtio ſanguinis partialis eam prophylacticam requirat.

p. 415. p. 419. p. 431. p. 445. p. 450. p. 453.

Sectionis quartae primum caput morbos, cum fetu communicatos, ſiſtit, nimirum luem veneream, convulſiones

p. 457.

convulſiones, febres, variolas, icterum, ictus et alias laeſiones violentas, quae omnia cum propria, tum aliorum experientia Cl. Auctor confirmat. Convulſiones matris tenellis neruis fetus tantam irritabilitatem impertire poſſe putat, quae diſpoſitionem ad motus irregulares inducat, ſenſim magis magisque increſcentem, ipſamque adeo matrem afficientem. p. 463.
Num quis in hoc capite digreſſionem, de antiquitate morbi varioloſi eamque amplam ſatis, quaeſiturus eſſet, nos quidem quam maxime dubitamus. p. 466.
Caput ſecundum morbos generales, fetui proprios, exhibet, nimirum febres, hydropem, variolas, ſpaſticos morbos, icterum, praemiſſis nonnullis, de cauſſis genealibus horum morborum in fetu, quae iam ſuperius adducta fuerant; eas autem mutationes, quas tota ſubſtantia fetus patitur, nempe putrefactionem, exſiccationem, indurationem, ſe explicare non poſſe fatetur Noſter, ideoque de his fuſius non exponit. p. 475.
Caput tertium ſpeciatim morbos cutaneos fetus contemplatur, quorum cauſſae propiores in muco, cutim fetus obducente, iuſto denſiori facto, concurrente ſimul acrimonia humorum; remotiores autem in morbis matrum vel quacumque mutatione, ab iis fetui communicanda, poſitae ſunt. p. 495.
Eaedem cauſſae ſuo modo morbos capitis producere poſſunt, de quibus, et ſpeciatim de hydrocephalo, quantum caput agit. Rariores ſunt morbi pectoris, quum pulmones officio ſuo nondum fungantur: hydrops pericardii interdum deprehenſus fuit: verum autem hydropem pectoris nonniſi in iis fetubus conſpexit Noſter, qui ſimul aſcite laborabant. p. 497.
Fletum, clamorem et ſingultum fetuum in vtero materno quam maxime in dubium vocat, et vix non omnia horum phaenomenorum exempla, ſuo quidem iure ſuſpecta, arbitratur. p. 504.
Caput ſextum de morbis infimi ventris exponit. Aſcites verus, p. 513.
p. 526.

vbi aquae in cauitate abdominis, et ſpurius, vbi eaedem in contextu cellulari abdominis membranisque haerent, et quarum poſterior facile in priorem et hydropem vniuerſalem tranſit, in genere ex omnibus iis cauſſis oriri poſſunt, quae maſſam humorum imminuere poſſunt, tam ratione matris, quam fetus. Verus curationem numquam admittit: ſpurius in-
p. 530. terdum. Hydrocele, niſi a morbo alio primario pendeat, debilitatem vaſorum venoſorum lymphaticorum pro fonte agnoſcit, et, ſublata hac cauſſa, tollitur. Poſtea de herniis, ſuffocatione per compreſſum funiculum vmbilicalem, et vermibus agitur. Ca-
p. 537. put demum vltimum huius ſectionis paucis demonſtrat, prophylaxin horum morborum ex nullo alio fonte, quam a diaetae regulis a matre ſeruandis peti poſſe.

p. 539. Accedimus ad ſectionem vltimam, cuius primum caput de abortu in genere exponit. Praemiſſa diſtinctione inter euacuationem ſeu effluxum germinis ſpurii ſeu embryonis imperfecti, et verum ab-
p. 542. ortum, huius cauſſae recenſentur, quas aut in matre, aut in fetu ipſo quaeri oportet. In matre eae ſunt vterus vel iuſto arctior vel amplior; morbi acuti; plethora ſanguinea et humoralis ſeu humorum tenuiorum abundantia; calculus renum; ictus vel compreſſio externa, qualis ea eſt, quae a
p. 548. veſtitu arctiori inducitur, cuius exemplum ipſe Noſter vidit, motus violentiores corporis; frigus; animi affectus; haemorrhagiae, inprimis vteri, atque inde profecta debilitas ſolidorum, alui fluxus; teneſmus; obſtructio aluina; vrinae ſuppreſſio; odo-
p. 564. ramentorum varia genera, quae in ſuauia, foetida et mephitica Noſter diſtinguit, ita, vt a prioribus duobus neruos tantum affici, ex poſterioribus vero v. c. carbonum ardentium, locorum vliginoſorum, cloacarum, cryptarum cet. particulas, per poros reſorptas, ad viſcera ipſa deduci, indeque primo aeris interioris

interioris elaſticitatem deſtrui, poſtea vero liquida
et ſolida ipſa deprauari exiſtimet; vitia localia vteri
v. c. ſcirrhus, aer, tympanitis more, incluſus;
et plura alia. In fetu huc referri debent funiculus
vmbilicalis vel nimis longus, vel nimis breuis, vel p. 373.
tenſus, vel ex rariſſima PANAROLI obſeruatione ve-
ſicula tracheae adhaerens et circulum ſanguinis in-
tercipiens. Facile intelligitur, harum cauſſarum
cognitionem remedia prophylactica ſuppeditare ad
praecauendum abortum, quae obiectum ſecundi p. 575.
capitis ſiſtunt; ſignis ergo imminentis abortus ex-
poſitis, auxilia, ex fonte diaetetico petenda, Cl. Au-
ctor tranſit, et tantum, quae ars in caſu vrgente
ſuggerere poſſit, indicat. Victus in quorumque
caſu vegetabilis eligendus eſt, potiſſimum ex legu-
minoſis et farinaceis, additis lenioribus aromaticis;
animalis non niſi ex iuſculis tenuioribus aut ouis re- p. 579.
centibus eorumue vitello aqua, vel iuſculo excepto,
conſtet. Gelatina cornu cerni in ventris fluxibus
prodeſt. Tunc etiam diaſcordium vel theriaca, ve-
ſperi data, multum conducunt. In laxitate fibrarum
infuſa et decocta amara ac tonica, et, vbi ſimul nerui
ſpaſtice afficiuntur, liquor anodynus ex aquis deſtil-
latis congruis ſumendus magni vſus ſunt: abſtinen-
dum eo in caſu a ſpirituoſis concentratioribus, nec, niſi
ſub lipothymiae vel ſyncopes metu vnum alterumque
cochlear vini hiſpanici vel potionis cardiacae exhi-
bendum. Sin violentia extus illata abortus metum
faciat, venaeſectio inſtituenda et diluentium, hu-
mectantium, temperantium vſu eiusdem effectus
iuuandus eſt: eadem remedia cum antiſpasmodicis
externis et internis ſociata in omnibus reliquis caſi-
bus indicantur, vbi ſolida a quacumque maſſa irri-
tantur et fluidis iuſto maiorem motum impertiunt. p. 583.
Vterus contra nimis humidus tonica cum balneorum
adſtringentium vſu requirit. Venaeſectio in quouis
grauiditatis termino nonnisi tum vtilis eſt, quum

vel

p. 589. vel a plethora vel ſubſequuturae inflammationis metu indicatur; quod vbi non eſt, certiſſime ſemper nocet.

p. 594. Poſtquam in capite tertio cauſſae partus difficilis expoſitae fuerant, nempe ex parte matris aetas vel nimis tenera vel iuſto prouectior, morbi tum acuti, tum chronici, et intempeſtiuum liquoris amnii profluuium, ex parte fetus autem vel peruerſa partium conformatio aut magnitudinis vitium, ſitus incongruus, placenta, orificio vteri obuerſa, membranarum nimia denſitas, ſpontaneam diſruptionem non admittens, funiculi vmbilicalis vitia cet. in vltimo de-

p. 604. nique primo, de generali notione vocis partus differitur, poſtmodum cauſſae partus, in ſtructura vteri et motu fetus haerentes, diſquiruntur, et denique paucis partus ipſius negotium deſcribitur, ſicque totus hic primus tomus finitur.

XVIII.

Ragionamento intorno all' obligo d' allatare i propri figliuoli, del CONTE BENVENUTO DI SAN RAFAELE. — In Milano 1769. Per Giacomo Agnelli. 8 mai. pagg. 38.

i. e.

Tractatus de officio matrum ſuos infantes lactandi, per BENEVENUTUM COMITEM DE S. RAPHAELE.

Propter argumenti ſimilitudinem hunc libellum priori ſubiungimus, cuius Auctor tamen magis rationes morales, quam phyſicas reſpexit, licet de his etiam hinc inde quaedam proferat. Multum ergo abeſt, vt in diffuſiori, quo vius eſt, dicendi genere paucis his plagulis argumenta ea omnia complexus ſit, quin potius in fine ſcriptionis ipſe eo ſe excuſat, non omnes res dici aut debere, aut velle,

aut

aut posse. Ceterum sermonis genus floridum est, et interdum actiore sale adspersum, quam praeiudicia seminarum suae regionis, quae vero per omnem grassantur orbem, perstringit. Cuius asserto vt fidem faciamus, apostrophen ad feminas nobiliores, quae finem libelli efficit, huc referamus.

„Quantum ad vos stirpes amplitudine redituum, „auctoritatis et excellentiae distinctione et hono„rum, quos aula tribuit, splendore clarissimae, in qui„bus nonnunquam inde ab atauo pulcra et continua „successione vna cum mobili magnanimoque sangui„ne portio non contemnenda scorbuti, cachexiae et „aliorum malorum extraneorum peioris indolis pro„pagatur: tantum abest, vt vobis auctor suasorque „existam vestros infantes lactandi, vt potius idem „vobis dissuadeam. In contrahendis matrimoniis „eo tantum cura vestra respiciat, vt progenies ex „vtraque parte aeque antiqua et illustris sit, vt dos „sponsae necessitatibus et ambitioni mariti respon„deat, vt facultates sponsi sufficiant ad explendas „cupiditates indeterminabiles vanitatis femineae. In „id alloborandum vobis est, vt pulcro vinculo mu„tuae aeternae, frigidissimae indifferentiae iuuenis „decrepitus triginta annorum copuletur cum in„fante praematurae senili septemdecim annorum, et „vt primis tantum entis viuentis staminibus, progna„tis a parentibus adeo prudentibus, nutrices eius„modis rudes et rusticas, quae in tuguriis vegeta„tione ignobili vigorosa gaudent. Vnde alterutrum „euenire conspicietis: aut prolem vestram nonnihil „sanitatis et roboris acquirere; aut nutricem ab „alumno particulam quamdam recipere contagionis, „quae magnates decet, dignissimam sordidae et im„prudentis ipsius venalitatis.„

XIX.

XIX.

An eſſay on the diſeaſes moſt fatal to Infants. To which are added rules to be obſerved in the nurſing of children: with a particular view to thoſe who are brought up by Hand. London: Printed for I. Cadell. 1767. 8. min. pagg. 148. *)

i. e.

Tentamen ſuper morbis, infantibus quam maxime fatalibus. Accedunt regulae, in lactatione infantum obſeruandae: ad eos habito reſpectu, qui abſque lacte materno nutriendi ſunt. Auctore GEORGIO ARMSTRONG.

Primo loco Cl. Auctor docet, morbos infantum et cognitu non adeo difficiles, et numero non adeo frequentes eſſe, quam multi credunt, eosque vni fere atque generaliori cauſſa adſcribi oportere, nempe muco, copioſius a glandulis ſecreto, et cum ob
p. 14. copiam ſuam, tum ob defectum motus corporis roborisque, inteſtinorum tenacitatem acrimoniamque
p. 16. nacto. Primus fere infantum morbus ſunt ſpaſmi interni, quorum origo huic cauſſae omnino tribuenda eſt, cum lympha ex glandulis oris et faucium preſſa ſuctionis actu vna cum lacte deglutitur, cum muco tenaci ventriculi commiſcetur, lacque ipſum corrumpit, quod vel ab ſolo acido, in primis viis haerente,
p. 21. iam efficitur. Forte etiam aer, fugendo in ventriculum

*) GEORGE ARMSTRONG *Verſuch von den vorzüglichſten und gefährlichſten Kinderkrankheiten. Nebſt Regeln, welche man bey dem Säugen der Kinder, wie auch bey ſolchen beobachten muß, die ohne Bruſt aufgezogen werden. Aus dem Engliſchen. Zelle, 1769. bey George Conrad Gſellius,* 8.

lum delatus, ſymbolam ſuam hic confert. Quorum ſpaſmorum cauſſae, niſi tempeſtiue tollantur, facile in aphthas transeunt. Nigras Cl. Auctor numquam, niſi ſemel analogi, quid, conſpexit, quod ſiccitati aeris, in quo degit, adſcribit: eas tamen ſemper ſigna putridi putat. Niſi et his ſucurratur, materiae, in primis viis haerentes, acriores redditae, vomitum, feces acidas, coagulatas, mucoſas vel aeruginoſas, diarrhoeas feroſas, cum ſummo dolore coniunctas, et conuulſiones producunt, licet nonnumquam vnus alterue horum morborum adſit, quem priores non praeceſſerint. Conuulſiones in genere, ſtimulo neruis illato, adſcribendae ſunt, et plerumque vt ſymptomata, ab acrimonia primarum viarum, vel inflammatione earum, vel a ſtimulo, gingiuis ſub dentitione applicato, pendentia, conſiderari merentur. Et haec eſt ſeries morborum, qui infantibus periculoſiſſimi ſunt. Curatio ſpaſmorum internorum numquam negligi debet, quum graviorum morborum fundamenta iaciant. Optimum eſt; infantem, poſtquam nutrimentum hauſit, non prius in tectum reponere, quam donec aliquoties ſurſum deorſumue aeri, in inteſtinis haerenti, exitus datus fuerit: ad quod praeſtandum motus et frictio lenior ſaepe ſufficiunt. Cauſſa valentiore exiſtente, guttae aliquot vini ſtibiati praeſtantiſſimi uſus ſunt, cuius remedii doſis et iteratio viribus aegroti et cauſae magnitudini accommodari debent. Cauendum tamen, vt aluus reſpondeat. Aphthae, vel febre quoque plus minus inſigni ſtipatae, vomitorii, ſupra indicati, vſum optime ferunt, cui tamen, vbi obſtructa eſt aluus, clyſter vel puluis ialappae ad duo vel tria grana, cum dupla quantitate ſacchari permiſtus, isque, vrgente neceſſitate, repetendus, praemitti debent. Ad os et fauces eluendas praeſtantius nullum inuenit remedium Cl. Auctor, quam dimidium ſcrupulum

p. 24.

p. 26.

p. 28.

p. 31.

p. 34.

p. 43.

lum vitrioli albi, in vnciis octo aquae communis, decocti hordei, vel pectoralis ſolutum, quod remedium, pro rei conditione, fortius reddi poteſt; hoc paullum calido linteum impraegnatur, et partes affectae ter vel quater intra viginti quatuor horas abſtergantur. Hoc gargariſmate quoque fere vnico et in adultis Noſter vtitur, niſi linguam nimis ſiccam et quodammodo inflammatam deprehendat: et hoc remedio ſolo cancrum linguae peſſimae indolis
p. 49. in puero quinquenni feliciſſime profligauit. Ad diarrhoeam vomitorium, ſupra adductum, omnia alia remedia efficacitate ſuperat, neque abſorbentibus prius locus eſt, quam acres materiae maximam iam partem euacuatae fuerint; quo in caſu iulapium, quod cretam excipit, maxime proficuum cenſetur. Rariſſime, euacuatis primis viis, anodyna neceſſaria ſunt. Solutio grani vnius tartari emetici in vnciis tribus aquae, addito pauco ſyrupo, ſi ad cochlearis minoris menſuram ſumitur, idem fere praeſtat, quod guttulae quinque vini antimoniati; neque ipecacuanha, quocumque modo exhibita, remediis anti-
p. 59. monialibus aequiparari poteſt. Candide tamen Cl. Auctor fatetur, exiſtere poſſe caſus, vbi neque haec curandi ratio, neque vlla alia ſufficere poſſit, quod ipſe duobus, quae ſibi acciderant, exemplis pro-
p. 79. bat. Symptomata dentitionis difficilioris vix non ſemper a primarum viarum conditione pendent: neque ergo hic clyſterum et laxantium, hisque adhibitis, emeticorum vſus negligendus eſt, et tum quoque, cum febricula dentitionem comitatur, adhibendus. Eruptio dentium molarium cum conuulſionibus, tempeſtiua ginginarum inciſione mirifice iuvantur. Varia vitiorum cutaneorum genera, ſi infans de reliquo ſanus eſt, neque alui obſtructione laborat, omnium optime ſibi relinquuntur: ſin tamen facies iisdem nimis foedatur, veſicatorium inter ſca-

pulas

pulas applicatum diuque apertum ſeruandum multum prodeſt. In morbis his retropreſſis vſum balneorum et veſicatoriorum, exemplo quodam Cl. Auctor probat. Variolae, morbilli et tuſſis conuulſua proprie ad morbos, infantili aetati proprios, non pertinent. Rhachitidem in loco domicilii ſui raro, nec niſi in infantibus, Londini huc delatis, et nutrices vtentibus, obſeruauit. Pauca doſis rhei, mundities, frictio bis vel ter de die adhibita, et balneorum frigidorum vſus malum breui ſuſtulit. Multum etiam in ſcrophularum curatione ſuſcipienda de remediis ſaepius iam laudatis ſibi pollicetur, licet ipſe his in eo morbo vtendi opportunitatem nactus non ſit. p. 88. p. 96. p. 97.

In altera operis huius ſectione primo Cl. Auctor caſus eos determinat, in quibus ancipitis conſilii res eſt; aut ob alias cauſſas fieri non poteſt, vt infans lacte matris vel nutricis ſuſtentetur. Duplex modus eſt, infantes absque mamma muliebri alendi: alter ope cornu, alter ope ſcaphulae (*boat*) vel cochlearis. Cornu vaccinum minus laeuigatum eſſe debet, quod ſesquilibram circa contineat; cuius apex perforatus eſt et membranis pergamenis eum in modum inter ſe connexis, obductus, vt inde nutrimentum per orificium maius in cornu immiſſum exfugi queat, adeoque papillae artificialis quaſi ſpecies efformetur. Cum autem hoc modo fluidiora tantum alimentorum genera infanti porrigi queant, idque maiori in copia, primae eiusdem viae inde relaxantur et multiplici incommodo exponuntur. Inde vtilius eſt alterum inſtrumentum, quod cibos ſolidiores capere poteſt, et a cochlearibus conſuetis non, niſi magnitudine, differre videtur. Dum infans adhuc lacte materno vtitur, conuenit pulticula ex mica panis albi, non adeo recentis, et aqua cocta, addito ſaccharo quodam oleoſiore; ſin autem infans p. 106. p. 113.

habitus corporis laxioris fuerit, praeſtat ſaccharum candidius, in metas formatum, vbi etiam aptius pani albo biſcoctus ſubſtituitur. Pulticula eum modo gradum dulcedinis habere debet, qui lacti recenti eſt. Priusquam infans ablactetur, ſenſim ſpiſſius eidem nutrimenti genus porrigi oportet. Si infantem mox a partu ſine lacte materno alere animus fuerit, lac vaccinum recens nutrimento eius admiſcendum, idque interdum ſolum eidem propinandum eſt. Vaccino aſininum omnino adhuc praeſtantius eſt. Ad flatus expellendos baccae iuniperi contuſae vel nonnihil zingiberis nodulo includantur, et pulticulae incoquantur, et nonnumquam, ſi laxioris habitus eſt, cochlear tenuioris aquae menthae vel dulcis foeniculi porrigatur; ſin ad obſtructiones aluinas propenſus, parum mannae vel magneſiae ſubinde alimentis eius addendum eſt. Cum ablactatione finita, durioribus cibis aſſuefaciendus ſit nonnumquam inter prandium decocto cruſtae panis aequali parte lactis recentis, vel, hoc deficiente, cocti et tantillo ſacchari remiſti, vtatur. Poſt tres quatuorue menſes lacti iuſcula carnium tenuiora ſubſtitui, et poſt ſex menſes, niſi ad obeſitatem aut febrem inclinet, altero vel tertio quouis die exigua admodum portio carnis gallinae coctae, minutim conciſae et cum mica panis et iuſculo in maſſam pultaceam formatae, exhiberi poteſt. Conducit etiam tunc omni mane fruſtum cruſtae panis ſuperioris, lacte vel alimentis conſuetis imbutum, porrigere, vt infans illud fugendo copioſiorem ſaliuam alliciat, et tum frictione ginginarum eruptionem dentium adiuuet. De tempore ſumendi alimenti parum in genere ſtatui poteſt. Somnus infanti recens nato neceſſarius eſt atque vtilis; ab eodem tamen paullisper retrahendus eſt, quum cibis denſioribus aſſueſcere debet. Si infantes interdiu dormiunt, noctuque vigilant,

p. 122.
p. 134.

vigilant, optimum eſt, ſi eos, quocumque modo fieri poteſt, per diem a ſomno arceamus, et verſus mediam noctem largiter nutriamus. Opiata tunc quam maxime nocent. Cauſſam alacritatis nocturnae quamdam etiam in cunarum per diem vſu ponit Noſter. Lectum igitur quouis modo cunis anteponit. Infantibus proficua iudicari poteſt agitatio, p. 141.
ea tamen nonniſi moderata, et ſumma cum cautione adhibenda. Frictiones vix crebro ſatis repeti poſſunt. Multum etiam vtilitatis habet, ſi infans omni mane aqua frigida per totum corpus abluatur, et caute poſtmodum detegatur. Excoriata cutis poſtmodum puluere cyprio, mediante afflatu ſubtiliter conſpergenda eſt. Excoriatio ab vrina acriori potius argilla fullonum, in aqua feruenti diſſoluta poſteaque frigefacta, quam ceruſſa tractari debet. Humiditatem pone aures friuole ſupprimere non conuenit, ſed pars affecta quouis mane frigida aqua abluenda, et dein linteo ſicco paullo fortius fricanda eſt; effluxum vero nimis copioſum, linteum combuſtum, quod pro fomite inſeruit, ſatis exſiccat.

XX.

IOHANN FRIEDRICH ZUCKERTS *der Arzneygelahrheit Doctors Unterricht für rechtſchaffene Eltern zur diätetiſchen Pflege ihrer Säuglinge. Berlin, verlegts Auguſt Mylius, 1764 8. 9½ Bogen ohne Titul und Inhalt.*

i. e.

Admonitio ad parentes de ſeruando regimine diaetetico infantum lactantium. Auctore IOANNE FRIEDERICO ZUCKERT.

Summo iure Cl. Auctor iis eſt annumerandus, qui id curae cordique habent, vt homines, ſcientiae medicae expertes, inſtruantur atque doceantur, quantum ad conſeruandam vitam liberorum regimen diaeteticum infantum lactantium faciat. Triplici quippe modo ſalus liberorum a parentibus potiſſimum pendere arbitratur; nempe ſi a parentibus ſanis ac vegetis gignuntur, in vtero materno iuſto nutriuntur et aura vitali conuenienter educantur. Ad educationis autem regulas concinno ordine tradendas, opus hoc in nouem diuiſit Cl. ZÜCKERT ſectiones, et in prima de iis, quae protinus a partu cum infante recens nato peragenda ſunt, in ſecunda de faſciarum applicandarum modo, in tertia de nutrimento illi praebendo, in quarta de vigilia et ſomno, in quinta de aere, in ſexta de motu et quiete, in ſeptima de excretionibus et munditie praeſtanda, in octaua de animi affectibus exponit tandemque in vltima cautiones quasdam peculiares ſubiungit, in cura infantum obſeruandas. Summa hac huius libri, iis, quibus infantes ſunt educandi, vtilis, praemiſſa, de nonnullis ſingulis videamus.

p. 16. Ad meconium eliminandum, conſuetis medicamentis addit Noſter pauxillum ipecacuanhae. Bal-

non frigida in noſtro climate aliena putat, praeſertim cum corpuſculum fetus iam in vtero materiae texturam teneriorem ab habitu parentum nanciſcatur.

Faſcias Noſter non admittit primis diebus lintea quae molliora tam fundet, ac omnino nec premere, nec motum, neque reſpirationem impedire debent. Alias illae Noſtro diſtorſionis et rhachitidis prima fundamenta ponere, aliaque malorum incommoda viſceribus abdominis et thoracis contrahere videntur. Acubus ad faſcias firmandas praeſtat ligulas tenuiores, nodorum tamen, ne premant, habita ratione. p. 27.

Soluta hic nisternum nutriendo infanti commentationem Noſtro cenſetur ac probatur, obiectionibus refutatis. Dein de obligatione matrum ad infantes lactandos exponit, easque non, niſi ſumma neceſſitate, a lactandi officio excludit. Tum vero nutricem eligit, in qua eligenda inter alia ad capillorum calorem indifferentem et habitum corporis, qui matris corpori reſpondere debet, reſpicit, ac ſummopere cauet Noſter, ne nutrix ſit menſtruata. p. 39.

Tum diaetam lactantium Noſter perſequitur. Aer ſit temperatus. Alimenta aetati et conſtitutioni infantis accommodantur. Abſtinent matres a dulcibus, praeſertim mollioribus, a veneris exercitio prorſus, nec non ab omnibus animi commotionibus. p. 83.

Porro quomodo infanti lac porrigendum ſit, docetur. Qualitatem et quantitatem alimenti vires digeſtionis definire oportet. Infans tunc lactandus eſt, quum nutrimentum deſiderat, id quod non ex ſolo fletu patet. Infantes certis horis definitisque abſtinentiis aſſuefaciendi ſunt. p. 95.

His addit reliqua infantum alimenta. Pultes tenaciores ex farina cerealium, prorſus a Noſtro reiectis, praefert. pulticulam et micis panis, ex- p. 105.

renisia tenuiore cum melle despumato seu saccharo, ac robustis infantibus sexto, debilibus octauo aetatis mense exhibet Noster.

p. 118. Dum vigiliam ac somnum infantum considerat, cunarum vtilitas demonstratur. Somnus infantum sit largior, aliquas per horas autem vigilent infantes. Cunarum agitatio sit placida, minime vehemens.

p. 128. Infantes, a robustioribus parentibus nati, statim a partu liberiori aeri exponi possunt, a tenerioribus e contrario, cutis et fibrae eorum densitas sufficiens antea acquirenda est. In suffimentis adhibendis ad aerem conclauium depurandum caute versandum est, ne pulmonibus vis inferatur et odores fortiores noceant.

p. 133. Quod infantum gestationem in brachiis spectat, illa moderata sit, neque nisi conueniente situ infantis, instituatur, neque protinus post assumta alimenta. Cui praeferendam censet vectionem in curru, lectulis mollibus instructo, serena tempestate, solo firmo, non autem in pauimento lapideo, et nonnisi moderatam.

p. 138. Munditiei summa cura haberi debet, infantesque quantocyus a quauis spurcitie sunt liberandi. Inde optimum est, si infans, quotiescunque sine signis famis plorat, ex lectulo ac fasciis eximatur et sordities, loco linteorum siccorum, aqua tepida abstergetur. Ceterum lintea vetustiora, balnea, frictionem capitis ac corporis omnino suadet. Fasciarum nimis arcta applicatio vel ideo nocet, quia salinae, muci narium, humoris ex auribus, imo vrinae copiosiorem secretionem et effluxum efficit.

p. 141. Quamuis in sensu strictiori infantibus recens natis effectus animi adscribi non possint, sed earum actiones mere animales videntur, attamen quadam ratione et terroris et irae effectus in iisdem conspiciendos,

ciendos, se praebent. Quapropter omnes occasiones, quibus infantes terrore percutiuntur seu ira incandescunt, a nutricibus et ab iis, quae curam eorum habent, sedulo sunt euitandae.

In vltima sectione ex traditis cautionibus has p. 148.
selegimus: nutrix infantem lactaturi illi in cunis, iacenti, non, corpore suo super eum protenso, mammas praebeat, neque eum in lecto iuxta se collocet. Pessimum quoque est, corpus infantis femoribus in situ supino imponere, collo eiusdem deorsum et retrorsum inflexo.

XII.

Lettre à Mr. ZIMMERMANN, Doct. en Méd. des Académies de Basle de Palerme, de la Société Oecon. de Berne, etc., sur l'épidémie courante. Par M. TISSOT, D. M. de la Soc. Royale de Londres, de l'Acad. de Basle de la Soc. Oecon. de Berne. A Lausanne, chez François Grasset. Et à Paris, chez P. F. Didot le jeune. 1765. 8. pagg. 122.

i. e.

Epistola Cl. TISSOT super epidemia nunc grassante, ad Cl. ZIMMERMANNUM directa.

Sub finem autumni et initium hyemis anni 1764 p. 5.
morbi, nonnisi inflammatorii, maxime pleuritici, grassabantur: sensim tamen putrida quaedam indoles iisdem se admiscebat, ita, vt mense maio, quo scripta fuit haec epistola, tres pleuritidis species, inflammatoria simplex, cum biliosa complicata, et biliosa simplex, regnarent, licet in hoc loco haec, in alio alia reliquis frequentior esset. Notandum est, phaenomena in cadaueribus, specie prima ac tertia, demortuorum, parum inter se differre, discrimen

maxime in eo poſitum eſt, quod in hac cruſta, pulmones obſidens, minus alba, ſeri, in cauo pectoris effuſi, maior copia magisque flaueſcens color, pulmo minus durus, ſanguis in maioribus vaſis fluidior, et in vniuerſum plura colliquationis et putredinis,
p. 14. quam ſuppurationis veſtigia conſpiciantur. In morbo inflammatorio ſanguis mittendus eſt, quocumque eius tempore ſymptomata inflammationis, in cruditatis adhuc verſantis ſtatu, adſint: inde Cl. Auctor exempla quaedam memorat, vbi duodecimo, decimo tertio, imo decimo ſexto morbi die vena maxime
p. 21. cum ſucceſſu ſecta fuit. Quodſi, neglecta quoque ſanguinis ſubtractione, aegri morte eripiantur, im-
p. 22. perfecte tamen et tardius conualeſcunt. Veſicato-
p. 25. riis tunc demum vtendum eſt, quum moles nimiusque impetus humorum venaeſectione imminuta fuerunt; inde multum praeſtant in peripneumoniae verae eo tempore, quo ſolidorum tenſio ſe remittit, ſanguinisque phlogiſtica denſitas ſolui incipit, quod tamen auxilium in eodem morbo, quum acutiſſimus fuerit, ob breuiorem eius durationem locum non
p. 27. habet, et in leuiori gradu vix neceſſarium eſt. Ad praecipua demum remedia vapor aceti et aquae ebullientis referri meretur.

Ad melius diiudicandam pleuritidis putridae vel bilioſae indolem, quae primarium obiectum huius epiſtolae ſiſtit, primo loco conſtitutio aeris, eam
p. 30. praecedens, eique comitata, diſquiritur. Plures per menſes fere perpetuo auſter, in iſta regione ſemper humidus, regnauit, raro intercedente bora, neque vnquam aere venti impetuoſioris depurato; accedebant pluuiae frequentiores, hinc inde nebulae denſiſſimae ac foetidiſſimae, gelu non niſi modicum neque diu durans, vnde cum in vniuerſum corporis actiones turbabantur et debilitabantur, tum praeci-
p. 31. pue pulmonibus inſignis iniuria afferebatur. Violentia

lentia febris, diuerſitas partium, in quas corrupti et alcaleſcentes humores congerebantur, maior minorue horum depoſitorum copia, inductaeque inde deſtructionis gradus, denique aut bona aut mala corporis aegri conditio, diuerſitatem morbi efficiebant. In quibusdam morbi prodromi, indiſpoſitio in genere, a vitiatis humoribus profecta, per aliquot dies P. 33. ſeſe prodebant: plerumque vero morbus ex improviſo homines ſanos viſos adoriebatur. Prima ſymptomata erant horror, cum duratione, tum magnitudine differens, magno calore ſubſequente, viriumque inſignis proſtratio. In omnibus, licet nunc citius, nunc tardius, ſtrictura ſumme dolens, a ſcrobiculo cordis per totum pectus extenſa, anxietates ſummas et ſuffocationis paene metum inducens, paucis tamen elapſis horis euaneſcens; quam morbi huius ſignum pathognomonicum Cl. Auctor iudicat. Praeter haec aderant dolor lateris alterutrius punctorius, interdum iam ſub horrore aut calore praeſens, ſed plerumque ſtrictura pectoris diſcuſſa demum ſe manifeſtans; tuſſis fere ſemper iuncta, frequens ea quidem, at non adeo vehemens, et excretione, raro copioſa, materiae plerumque ſpumeſcentis, nonnumquam ſanguine, raro tamen maiori in copia remiſtae, ſtipata, raroque vltra vnum duosue dies perdurans; pulſus celer, parum durus et plenus; plerumque ſub initium cardialgia, interdum vomitus; lingua in principio parum mutata, ſed intra viginti quatuor horas coloris nunc plumbei, nunc prorſus nigri, quod tamen nihil portendebat mali, modo humiditas adeſſet; caput in aliis liberum, in aliis multum dolens, plerumque autem grauitatis modo ſenſum percipiens; alui non raro occluſa, vel diarrhoea parca cum crebriori deſidendi cupiditate et fecibus foetidiſſimis; vrina varia, raro perfecte ſubſidens, interdum, quod fere grauitatem

morbi praesagiebat, sanae simillima; sudor raro aut abundantior, aut prorsus nullus; abundantior in principio morbi atrocioris indicium; somnus vel nullus, vel noxius magis, quam proficuus, quod in pluribus morbis acutis obseruauit Cl. Auctor; morbus quotidie horis incertis, plerumque per noctem, ad aliquot horas exacerbabatur; facies a principio collapsa et sordide flaua, sub reditu paroxysmi rubebat et sudabat; vermes in pluribus vel vomitu vel per aluum reiiciebantur, quod tamen et in hoc morbo, et in aliis epidemiis putridis potius a saburra primarum viarum mota pendet, quam quod vere causa morbi vel symptomatum in vermes coniici possit. In infantibus tamen vnum symptoma ab iisdem proficisci videtur, nempe affectiones pectoris et abdominis alternis vicibus se excipientes, sibique, inuicem pluries intra dimidiam horam succedentes, postmodum subito cessantes, elapsisque aliquot horis, rursus redeuntes. Morbi tres diuersi gradus erant, symptomatum leuitate et grauitate inter se discrepantes, ita quidem, vt mitissimus, vno saepius euacuante adhibito, intra tres quatuorue dies dispareret, grauissimus e contrario, iis tamen propitio fato non nisi rarior, intra idem tempus, imo secundo iam die, aegros iuuularet: communissime tamen morbus a septem vsque ad decem vel duodecim dies durabat. Bonum euentum praedicebant paroxysmorum recursus minus fortes, anxietas cessans, euacuationum naturalium facilitas, respiratio liberior, somnus bonus, appetitus cum viribus rediens. Mortis autem praenuncii erant venter tensus, vrina parcior, pectus et nonnunquam cerebrum, a materia morbifica obsessa, saepe sudor multis anxietatibus stipatus, tubercula minora, in superficie corporis erumpentia, alia sicca et nigra, pulsus celer, frequens et durus, deliria furiosa, et prae reliquis omnibus

p. 43.

omnibus eadem cum oppreſſione et gangraena coniuncta. Neque decubitus ſemper ad pulmones fiebat, ſed nonnumquam ad cerebrum, vnde phrenitis ſubito letalis, nonnumquam ad hepar, quos tamen aegros aeque ac alios, in quibus metaſtaſis ad meſocolon lateris ſiniſtri facta videbatur, Cl. Auctor ſanitati reſtituit. Dolores acuti, per totum corpus ſeſe expandentes, aeque ac lenior eiusdem inflatio, nullius periculi erant: ſed grauioris momenti res erat debilitas naturalis pulmonum. Recidiuarum rariora exempla occurrerunt. Neque conſultum fuit, huius morbi curationem ſolis naturae viribus, quas putrida diſpoſitio nimis debilitat, relinquere, quandoquidem nec in vomitu, nec in diarrhoea, nec in vrina, nec in ſudore criſin quamdam ſpontaneam perfectam expertus eſt Cl. Auctor: ſi qua poſſibilis erat, ea vel in expectoratione copioſiore, vel in tuberculis, ſupra memoratis, poſita erat, iisque eroſione inſigni, nonnumquam etiam ſuppuratione comitatis; quae verb nonniſi tum oriebantur, quum in leuiori morbi gradu euacuantium vſus neglectus fuerat.

Morbi huius indolem putridam neque cauſſae P. 58.
eius, in aeris vitiata qualitate ſitae, neque epidemica conſtitutio, quae vtplurimum ad eam indolem accedere ſolet, ſatis indubitato declarant: ſed character pulſus, longe recedentis a duritie inflammatoria, quae venaeſectionem adeo neceſſariam reddit, progreſſus morbi minus regularis, quam in pleuritide inflammatoria, effectus noxius venaeſectionis, ſputa minus copioſa et minus ſanguine remiſta, irregularitas in alui excretione, ſaepe varians faciei color, ſanguinis, ex vena miſſi, differentia, medicamentorum ſimplicium aquoſorum, nitroſorum, farinaceorum, quae in inflammatorio morbo adeo proſunt, noxa, dum illis putridus fomes tantum diluitur et ad circulum

culum humorum ingrediendum aptior redditus, omnino ſimul conſideranda ſunt.

p. 66. Morbum autem hunc eodem modo tractauit Cl. Auctor, quo in curatione febris bilioſae, quae ante duodecim annos Lauſannae dominabatur, vſus eſt, et quem in libro, de hac febre conſcripto *) iam propoſuit. Mox in principio vomitorium ex tartaro emetico, larga doſi aquae excepto, addita conueni-enti portione ſyrupi capillorum veneris, per partes ſumendum, exhibebat: rarius in hunc finem ipeca-cuanha vtebatur. Prius remedium etiam tum pro-pinabat, cum tardius v. c. a quinto ad octauum diem, accerſitus fuerat, niſi debilitas nimia, aut gangrae-na inteſtinorum eius vſum prohiberent. In quodam aegro, qui febrem et dolorem lateris remediis qui-busdam vicerat, ſed adhuc tuſſi, debilitate, ſapore deprauato, et ſingulari moleſtia circa ventriculi re-gionem vexabatur, duo grana ipecacuanhae, die de-cimo ſexto et ſeptimo iteratis vicibus exhibita, ex-citato parco vomitu, omnia haec incommoda di-

p. 72. ſparuere: qua occaſione de viribus huius radicis, in doſi minori exhibitis, diſſerit, putans, eas maiori vel minori copia corticis adſcribi oportere, quum in eo efficacitas omnis conſiſtat, fibris medullaribus lignoſis prorſus eadem deſtitutis, ideoque ſolius corticis vſum commendans. A vituperio deinde contradictionis ſe defendit, quod incurriſſe videri poſſet, quum alibi emeticorum vſum ſub principium morborum reiecerit, oſtenditque, illa omnino in mor-bis inflammatoriis, aut ex his et bilioſis complicatis, nocere, niſi prius inflammatio diſcuſſa fuerit, neque tum in putridis ſimplicibus conuenire, quum hu-mores viſcidiores fuerint, ſed tunc prius opus eſſe, vt ii fluidiores reddantur. Purgantia per aluum emeticis nullo modo aequiparanda erant. Inde ad

vtilitatem

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VII. p. 225.

vtilitatem emeticorum in praecauendis eruptionibus miliaribus, morbis putridis ſuperuenientibus, di-
greditur, et demum ad reliqua auxilia, morbo ne-p. 86.
ſtro debellando apta, redit, inter quae ptiſana ex hor-
deo cum oxymelle ſimplici primarium erat; quum
vrina non ſufficienti in copia excernebatur, vel hi-
lis ſecretio vitiata erat, decoctum radicis graminis,
et illud quidem meracius, ita, vt vncia vna ad vnam
cum ſemiſſe ex vnciis decem aquae coqueretur, ad-
dito parum aceti vel ſucco citri, in vſum vocabat.
Potum ex aqua, ſaccharo et multo ſucco citri tunc
praeferebat, quum vel poſt vomitorium ſapor per-
verſus, multus calor internus, deiectiones admodum
foetidae, auerſatio omnium reliquorum potus ge-
nerum, et ingens cephalalgia aderant. Quum aci-
da vegetabilia adeo bene propoſito fini reſponde-
rent, raro mineralibus vtebatur. Cremor tartari,
poſt vomitorium, praeſtantiſſimum ipſi remedium
fuit, cui ſi vim purgantem conciliare volebat, ad
drachmam eius tertiam vel dimidiam partem grani
kermis mineralis adiungebat. Lotiones ſimplices ex
decocto maluae et duabus mellis vnciis, nonnum-
quam ex ſola aqua tepida, vel decocto furfurum,
bonos ſemper effectu ſe commendarunt. Victus
praeſcribebatur ex cerealibus, in aqua coctis, et pomis
aliquot coctis; ſi iuſculum carnium locum haberet,
illud nonniſi ex pullis cohortalibus parandum erat.
Febre profligata, interdum purgante opus erat, in-
terdum parum cremoris tartari et rhei per tres qua-
tuorue dies, mane ſumtum, ſufficiebat. Haec con-p. 92.
ſueta medendi via erat, a qua tamen nonnumquam,
ob malum complicatum vel ſymptomata ſingularia,
recedere Cl. Auctor coactus fuit. Sic in aliis emeti-
cum repetitum requirebatur; in aliis ob debilitatem
camphora vel ſola, vel addito kermes minerali, in
aliis veſicatoriis opus erat, quae cum ardorem vri-

nae

nae interdum efficerent, iſti incommodo lotiones blandiſſimae et emulſiones amygdalinae medebantur. Vbi metaſtaſis ad hepar facta erat, ab emetico abſtinebat Cl. Auctor, et vnice tantum aegroto
p. 94. pauca ipecacuanhae grana exhibebat: reliquam in his caſibus curationem cremor tartari, ſerum lactis, ſucci plantarum ſaponacearum, et lotiones, in aluum immiſſae, praeſtabant.

p. 95. Expoſitis morbi hiſtoria et curatione ad, prophylaxin eiusdem ſe conuertit Cl. Auctor, et primo loco timorem nimium ex animis ciuium ſuorum excutere allaborat, dum partim periculum morbi huius non adeo ingens eſſe demonſtrat, ſiquidem, calculo ducto, ex quinquaginta aegrotis, iuſta methodo tractatis nonniſi vnus periit, partim illum prorſus non contagioſum dicendum eſſe oſtendit, hacque occaſione diſcrimen inter morbum contagioſum et epidemicum, quos plerumque inter ſe confundunt, clariſſime ac ſolidiſſime explicat. Quum autem, animo licet compoſito, cauſſae tamen generales euitari nequeant, et ſaepe fomes morbi iam in corporibus haereat, opus eſt, vt aer, quantum fieri poteſt, optimus hauriatur, corruptio bilis et reliquorum in genere
p. 106. humorum praeuertatur, idque, quod iam corruptum fuerit, adiutis quibuslibet euacuationibus naturalibus, eliminetur. Hae intentiones obtinentur aere conclauium, quae nec nimis hominum copia repleta, nec calidiora eſſe oportet, ſaepius renouato; alimentis paullo parcius aſſumtis, cauendo inprimis victum animalem nimium et potum aquoſum calidum; largo vſu acidorum, ne ipſo quidem vino, aqua admodum temperato, noxio futuro; leniore euacuatione, quae, ſumtis omni mane duabus drachmis cremoris tartari ex aqua frigida, optime praeſtatur, valentioribus euacuantibus non niſi tum neceſſariis, quum grauiora ſymptomata morbi

morbi acceſſum praenunciant, et exercitio corporis moderato. Munditiei omni opera ſtudendum eſſe, per ſe patet. Breui poſtmodum compendio totam medendi methodum Cl. Auctor proponit, quo vno intuitu perſpici poſſit. Nitro rarius vſus eſt, quod in praeſenti morbo, ſanguinem reſoluendo, ſaepe putredini magis fauet, quam obſtat. Qui eadem ſub epidemia regnabant morbi, omnes a conſtitutione aeris impreſſum quemdam obtinebant. Febres putridas ſimplices eodem, quo epidemicum morbum, modo curauit, et in eo gloriam quamdam ponit, vti in omni Europa neminem nitro copioſius, quam Cl. BROKLESBY, ſic neminem copioſius acidis, quam ſe ipſum, vti. Morbi neruorum frequentio- p. 116. res erant, cum partim aeris conſtitutionem, partim cauſſas reliquas, in corpore haerentes, neruoſum ſyſtema vehementer irritaſſe, nullum dubium ſit. Icterum non adeo frequentem fuiſſe mirandum eſt. Dolores rheumatici, vt frequentiſſimi, ſic pertinaciſſimi; infantes crebro morbis affecti, qui tamen emeticis vel purgantibus optime cedebant; hecticis temperies aeris infenſiſſima erat. Et ab eius correctione, redeunte borea, et poſtea aere ſicciore reddito, mor- p. 121. bum iſtum finitum iri, ſpes ſumma erat, quum longior auſtri, accedente calore, duratio illius augmentum maius minaretur.

p. 110.

p. 113.

XII.

XXII.

CAROLI KRAPF magni Hetruriae ducis, archiducis Auſtriae, archiatri, acad. botan. florent. ſodalis, experimenta de nonnullorum ranunculorum venenata qualitate, horum externo et interno vſu. Viennae Auſtriae, ex officina Krauſiana. 1766. 8. pll. 7.

Quum aliquot ſpecies ranunculi a variis inſectis appeti et comedi, alias autem contra aſſertum Cl. MILLER, a pecoribus deglutiri ſine noxa videret Cl. Auctor, ad experimenta cum in ſuo corpore, tum in animalibus, haec tamen parciora, quibus quippe minor habenda ſit fides, inſtituenda deductus fuit. Vſus autem in hunc finem eſt ranunculo ſceleratо, ſardoe, bulboſo, echinato, napelliſolio, illyrico, thora, aquatili, breynino, et ficaria *), quod has ſpecies commodius reliquis habere poterat. Auricomus, repens, et lanuginoſus itidem quidem a Cl. Auctore diſquiſiti, acrimonia tamen adeo deſtituti inuenti ſunt, vt potius oleraceis, quam venenatis plantis accenſeri mereantur. Nos vero, quum experimentorum vtique copioſorum, nec omni ſemper aut periculo aut moleſtia deſtitutorum, repetere ſeriem nec poſſimus, nec neceſſarium arbitremur, in ſolis inde deductis corollariis ſubſiſtemus. Omnium horum ranunculorum, exceptis breynino, et ficaria, acrimonia cauſtica eſt, erodens, inflammans, vſu interno periculoſiſſima, externe vero vt veſicatorium egregio, debita quoque cum cautione forte ſternutatorium praebens, dummodo recentes plantae fuerint: maior quoque earum efficacitas eſt, quo

*) Nomina triuialia ex Cl. CRANTZII ſtirpibus Auſtriacis deſumta retinuimus.

quo diutius cuti applicantur, aut, quum veſicula formata aperitur. Conſiſtit haec acrimonia in parte volatili, igne, decoctione, exſiccatione, maturatione auferenda, vt adeo plantae nutritioni aptae reddi queant, decoctumque ranunculorum egregium et gratum remedium pectorale euadat; neque tamen acidae, neque alkalinae indolis eſt, omnibusque fere a rebus, quibus ſapor qualiscumque ineſt, intenditur, et ſumme cauſtica redditur, neque a caſtoreo, neque a ſeptingentis fere herbis, quas omnes tentauit, et nominatim adducit Cl. Auctor, domanda, ſed potius a plerisque aucta, et ſoli acetoſae, ſi cum iis in ſubſtantia miſceatur, partesque nondum eroſae fuerint, cedens, ab immaturis etiam ribeſiorum baccis nonnihil mitiganda. Optimum tamen antidotum eſt aqua, cuius vnciae ſex cum dimidia ſucci expreſſi ranunculi ſceleſati drachma commiſtae, illum vſibus internis aptum reddunt, adeo, vt in octuagenario ab eodem remedio dyſuria ſanata, vlcera pulmonum depurata et reſtituta fuerint; vt ergo omnino cautus eiusmodi remediorum vſus commendari vtique mereatur. Irritatio in partibus internis inducta, acetoſae et aquae cedit, eroſio autem ſubſequens balſamo Peruuiano et aqua tepida vel ſola, vel additis mucilaginoſis et terebinthina, curatur. Ad vſum externum bulboſus prae reliquis conuenit, qui per plurima anni tempora recens haberi, et hyeme in bulbis facile ſub ſabulo ſeruari poteſt, ſuo ergo modo cantharidibus fere praeferendus. Verrucis tamen, niſi admodum ſuperficialibus, pernionibus, dentium doloribus applicandi non ſunt, neque radice ſicca pro ſternutatorio vtendum: ad pſoras tamen et lepras externus eorum in balneo, GALENO iam ſuadente, aeque, ac internus vſus Cl. Auctori tentandus videtur. Bulboſus et thora ſceleſata, ad quem ſardaeus efficacitate accedit, potentio-

tiores, bulboſo echinatus: Omnium accerrimus breyninus; illyricus et napellifolius bulboſo ſimiles ſunt.

XXIII.

La ſtoria della grave malatia di un perſonnaggio illuſtre, con le ſue annotazioni ſcritta da ANTONIO LIZZARI. Venezia, 1765. Preſſo Antonio Zatta. 8 mai. plagg. 8.

i. e.

Hiſtoria grauis morbi perſonae cuiusdam illuſtris, deſcripta annotationibusque illuſtrata per ANTONIUM LIZZARI.

Vir quidam et nobilitate generis, et meritorum in rempublicam dignitate, quam maxime conſpicuus, ſtaturae corporis minoris, coloris fuſci, ingenii feliciſſimi, gulae iuſto plus indulgens, ad quadrageſimum tertium vſque aetatis annum graviore morbo nullo adfectus, quum negotiorum patriae reipublicae curandorum cauſſa Londini degeret, ſubito febre vehementiſſima, graui lethargo ſociato, correptus eſt, cui venaeſectione mederi volebant adſtantes: opportuno autem tempore a rege ſuo ablegatus Cel. MEAD huic conſilio ſeſe opponebat, podagrae aduentum ſubſequuturum ſuſpicatus, quam etiam ſuſpicionem podagra ipſa non multum poſt ſuperueniens confirmabat, quae, paroxyſmo modico, nec nimia febre ſtipato deſaeuiebat, et ſtatis temporibus recurrens, per reliquum anni tempus aegro ſanitatem ſatis bonam relinquebat. Grauioribus tamen interea in republica muneribus admotus diaetae, regularum ſemper negligentior erat: inde aliquot, ante obitum eius, annis accidebat, vt vngues defluerent, et totum corpus

ſerpigine

ſerpigine vaga obſideretur. Quum nunc, poſt quatuor annorum continuum operoſumque exercitium corporis, duos annos vita paene otioſa, quod corporis motum, licet non aeque animae functiones, ſpectat, conſumſiſſet, et tum per multam noctem magnamque horarum matutinarum partem, cum ſtatim poſt prandium ad aliquot horas ſomno indulſiſſet, obeſitatem inſignem, et praecipue abdominis enormem molem, nactus eſt. Tribus circa ante mortem annis, quum ſolita aluina excretio ſenſim langueſcere incepiſſet, ſolitus podagrae paroxyſmus accedens, eamdem magis adhuc retardavit; inde aliquo die ſubito, poſt dolorem ventriculi, dolores colicos ſenſit, intra paucas horas ſummo increſcentes et febrim multum intendentes, ſubſiſtente tamen arthritico dolore; ſanguine, qui vere inflammatorius tamen erat, ex brachio dextro miſſo, et conuenienti laudani liquidi SYDENHAMII doſi exhibita, morbi impetus fractus, et remediis, aluum laxantibus, intra paucos dies, vna cum podagrae inſultu, ſublatus fuit, neque vnquam rediit, licet redeuntem quemuis arthritidis paroxyſmum moleſtus in ventriculo ſenſus, oris amarities, borborygmi, flatus et ructus comitarentur. His moleſtiis monitus aeger, quotannis cura prophylactica vtebatur: nempe laxantibus lenioribus, ſero lactis, in quo herbae quaedam amarae et reſoluentes coctae fuerant, ptiſana ex ſalſaeparillae et chinae radice et viperae dimidia parte, ſeruata ſimul diaeta tenuiori et frequentiori, adhibita exercitatione corporis: neque tamen reliquos diaetae errores vllo modo correxit. Inde medio ianuario 1765 paroxyſmum podagricum, qui alias ſemper, vel in fine autumni, vel ipſa adeo iam hyeme redierat, nunc quoque recurrentem ſenſit, eumque regulariſſimum, et, poſt quatuordecim dies, ſudore primo vniuerſali,

poſtmodum pedum, vrinaque craſſa primum et rubella, poſtea copioſiore et dilute flaua terminatum. Cum deinde ad conualeſcendum aliquod tempus impendiſſet, poſt vnum circiter menſem a paroxyſmo in publicum rurſus prodiit, et conuiuiis lautioribus intereſſe incepit: inde tamen interdum de variis vitae incommodis conqueſtus, quae vero prorſus vilipendit. Sed, quum aliquando, perfecte ſanus viſus, ad mediam vſque noctem hilaris ſocietati amicorum interfuiſſet, altero die, decimo martii eiuſdem anni, miniſter in conclaue intrans, eumdem in lecto, genubus incubantem, ſuique inſcium, inuenit, eoque in ſitum commodiorem delato, auxilium quaeſiuit. Cum forte Auctor Noſter abſens eſſet, accerſitus eſt Profeſſor quidam, cuius vero nomen reticetur, qui, inuitis licet adſtantibus, venaeſectionem in brachio ſiniſtro inſtituebat; quod vero antequam fieret, materias quasdam nigras euomuit aeger, indeque id demum precibus vxoris aegri medicus dedit, vt clyſter iniiceretur, quo breui poſt immenſa copia materiae piceae, nigrae, foetidiſſimae educta eſt. His tamen non obſtantibus, tamen vena denique ſecta eſt, ſanguine nigro effluente, quem Noſter, quum duas horas poſt hanc operationem, et octo horas poſt quam primum aeger morbo laborare conſpectus fuerat, disquirens coloris, nigricantis, absque cruſta inflammatoria, ſubſtantiae magis languidae, quam firmae, ſero admodum lixiuioſo et bilioſo donatum inuenit. Aeger ſoporoſus quidem iacebat, ſed vocatus mox expergiſcebat, et ſui conſcium eſſe declarabat, neque motu, neque loquela prorſus carebat, neque de cephalalgia conquerebatur; pulſus autem ſumme febricitans, et nonnihil debilior erat. Ex his ſignis vterque medicorum febrem praecipuum morbum, capitisque affectum, nonniſi ſymptoma eiusdem eſſe, colligebant, et protinus vtrique femori veſicato-

veſicatorium, et paullo poſt ano hirudines applicanda iubebant; vnde factum eſt, vt, elapſis tribus horis, caput liberari inciperet, pulſus leuaretur, lenis mador corpus occuparet et febris miteſceret. Per noctem pluries aluum ſponte depoſuit, materie bilioſa, obſcuri coloris et foetente, eliminata, et poſtero die melius habuit, adeo, vt etiam praeterito die ipſe actorum reminiſceretur; veſicatoria etiam vrinae largius profluuium excitarunt, eiusdem coloris, qualis ei, ſub initium febrium periodicarum bilioſarum pernicioſarum eſſe ſolet. Sed fere eadem hora, qua ſuperiori die vena ſecta fuerat, paroxyſmus febrilis rediit, affectu ſoporoſo, licet leuiori, leui extremorum frigore et pulſu contracto ſtipatus; oculi tamen plus ſplendoris naturalis, quam in paroxyſmo priori, habebant. Licet etiam ſopor per noctem continuaret, aeger tamen ſe mente conſtare variis modis declarauit. Tertio mane, ad exſtirpandam morbi radicem, purgans ex rhei drachma dimidia et diagrydii granis duodecim praeſcriptum eſt, quod tamen aeger ſemper abhorruit, medicamenta quaeuis recuſans: inde clyſmatibus et fomentis ſolis inſiſtendum erat, quibus prodigioſa quantitas foecum rancidarum et bilioſarum euacuabatur. Eadem fere hora huius diei, iisdemque ſymptomatibus redeuntibus, febris rediit, minus tamen itidem vehementibus. Lingua humida et viſcida, dentes eiusdem indolis, anima foetens, vrina ſedimentum flauum, quod lintea croceo colore tingebat, deponens, abdomen a plenitudine humorum turgens, hypochondrium dextrum obſcure dolens, ructus putridis ouis ſimiles, luridus facici color, pulſus debilis, febris quamquam obſcure, tamen ſemper periodica, et demum caput, redeunte paroxyſmo, ſemper affectum, morbum eſſe febrilem acutum, a deprauatis et rancidae acrimoniae humoribus pendentem,

tem, arguebant. Inde alter medicus profeſſor protinus corticis Peruuiani vſum ſuadebat, cuius quum virtutem adſtringentem pertimeſceret Noſter, is nonniſi ter de die, ad dofin vnius drachmae, pro quauis vice, adhibitus eſt, applicatis ſimul clyſteribus, quibus perpetuo ingens faecuum, prius deſcriptis ſimilium, copia eliminabatur. Venae autem iugularis ſectioni, quam alter medicus propoſuerat, Noſter ſeſe opponebat. Exhibitis ſex corticis Peruuiani drachmis, febris et affectus ſoporoſus nonnihil remiſerunt, ita quidem, vt ſacris vti poſſet aeger. Quinto vero die manifeſta ſigna gangraenae, inteſtinis potitae, aderant, et, accedente raucitate cum reiectione materiae cuiuſdam ex faucibus, poſt decimam tertiam, a paroxyſmo quinto febris, horam, aeger exſpirabat, ventre mox in tantam molem extenſo, vt erepaturam minaretur, adeoque protinus cadauer in ciſta, pice interius obducta, reponi neceſſarium eſſet. Annos viuendo quinquaginta nouem attigit.

Copioſiores, quam animus erat, in enarranda morbi hiſtoria fuimus: eo pauciora de annotationibus Auctoris noſtri dicenda habemus, quippe in quibus cauſſas morbi exponit, et praecipue damnum, ex praepoſtera ſanguinis miſſione ortum, explicare annititur, et quam fruſtranea adeoque noxia venae iugularis ſectio, quam alter medicus vel in ipſo mortis periculo adhuc vrgebat, morbum idiopathicum cerebri ratus, et exſpuitionem materiae purulentae ab eodem deducens, futura fuiſſet, demonſtrans. Nos autem vix capere poſſe ingenue fatemur, qui factum ſit, vt neuter medicorum acida remediis, diluentibus demulcentibusue iuncta, in vſum vocaverit: vix enim perſuadere nobis poſſumus, aegrum, licet a medicamentis abhorrentem, tamen potum acidulum, quem ſanus forte ſaepius grati guſtus cauſſa

cauſſa ingurgitauerit, plane repudiaturum fuiſſe; neque etiam corticis Peruuiani vſum ſolum iuſte morbo appropriatum, neque puluerem iſtum purgantem, ſi aſſumtus fuiſſet, in commodum aegri ceſſurum fuiſſe arbitramur.

XXIV.

Delle morti e malattie ſubitanee ove ſpezialmente de' polipi del cuore e del male terribile dell' apopleſſia, diſſertazione medico-pratica, in cui ſi eſaminano levere cagioni delle morti, e malattie ſubitanee, ſpezialmente in Napoli frequentiſſime; e ſi propongono i mezzi a prevenirle, per quanto fia umanamente poſſibile. Queſti vengono compreſi principalmente nel giuſto uſo, e governo delle coſe chiamate da' medici non naturali, e ne' tanti abuſi del ſecolo odierno, di cui ſe ne ſcuoprono le impoſture. Si comprova poi tutto colle oſſervazioni degli uomini eſtinti, e ſparati in tal congiuntura. Opera utiliſſima a tutti e ſpecialmente a' medici, conſecrata nella prima edizione à Signori del Real Conſiglio di ſtato e di reggenza. Edizione II. Ricorretta, ed accreſciuta con nuove oſſervazioni dell' Autore e d' altri Illuſtri medici Napolitani. In Napoli, 1767. 4. pll. 12. ſine dedicatione et praefatione.

i. e.

Diſſertatio medico practica de moribus et morbis ſubitaneis cet. Editio ſecunda correctior et auctior. Auctore PASQALI FERRARA.

p. 1. Tria capita liber iſte complectitur, quorum primum ideam vitae humanae euoluit, ſimulque ſigna eius, dubiae vel ſuppreſſae viſae, diutius tamen ſaepe ſuperſtitis, allatis vbique auctorum teſtimoniis, exponit; alterum tranſitum eius ad mortem
p. 15. naturalem declarat, et paucis remedia ad longaeui-
p. 27. tatem aſſequendam tradit; tertium denique, quod ampliſſimum eſt, mortem ſubitaneam ſiſtit, non eam quidem, quae a cauſſa externa violenta, vel a venenis, vel a contagio peſtifero, vel a vaporibus pernicioſis, vel affectibus animi vehementioribus, vel a functione partium, ob ipſam corporis ſtructuram ſublatis, quod in ſenibus accidit, proficiſcatur; ſed quae a cauſſa interna, non protinus in ſen-
p. 33. ſus incurrente, et ſaepe vix ratiociniis et coniecturis aſſequenda, originem ducat. Cauſſas eius triplicis generis in ſolidis, totidemque in fluidis ponit Noſter; in prioribus canales dilatatos, vel contractos, vel diſruptos, quas *cauſſas formales*, et in poſterioribus plethoram, cacochymiam, et concretionem polypoſam, quas *materiales* dixerat FERNELIUS. In homine repente mortuo pulmones vndique ſcirrhoſos et concretione dura, corruptione diu reſiſtente, repletos Cl. Auctor inuenit, quas mutationes vini et fumi nicotianae intemperantiori vſui adſcri-
p. 39. bit. In alio polypum inſignem ſteatomatoſae indolis, totam cauitatem dextram cordis, et orificia vaſorum maiorum implentem, et longius in venam cavam inferiorem extenſum, deprehendit. Arteriae iliacae ramo in agno ligato, poſt plures dies concretio polypoſa inuenta fuit, quod experimentum olim iam LANCISIUS in cane ceperat. Mittimus
p. 45. vberiorem tractationem cauſſarum generalium, quae homines ad mortes ſubitaneas diſponere poſſunt, et qua ratione incommoda inde metuenda praeuerti, vel iam imminentia tolli queant, quae quidem praecepta

cepta, ex optimis Auctoribus decerpta, et omni vtique attentione dignissima sunt. Studium gloriosissimi Hispaniae regis, quum hactenus Neapolitano regno praeesset, emendatis nouisque instructis viis publicis, quae regales certe sumtus postulabant, aerem corrigendi, summis, vt fas est, laudibus extollitur. Multus est Cl. Auctor in enarrandis iis artificiis, quibus ad mangonizanda vina vti solent. p. 65.
Coffeae non adeo commode hordei vstulati decoctum substitui monet, sed quum debilitas primarum viarum remedium carminatiuum postulet, potius decoctum corticis Peruuiani, neruis gratius futurum commendat, aut, si quis abstinere non possit a coffea, illam mane nonnisi cum aliquo cibo sumendam iubet. Theae vero Sinensium laudes vtique maiores tribuit. p. 68.
Hominem calidi temperamenti crebriori chocolatae potu, vel feruidissima aestate hausto, mortem apoplecticam sibi contraxisse vidit. p. 70.
Capillamentis factitiis magnam ad producendas mortes, subitaneas, efficacitatem BERNABEI assertis accedens, adscribit, et ad minimum mohet, ne capillis, frequenter nimis refectis, perspirationem capitis prorsus cohibeamus. p. 79.

Praemisso ergo causarum scrutinio, ad morbos subitaneos, ab eodem mortis genere sollicite distinguendos progreditur. p. 82.
Praecipui ex iis sunt palpitatio cordis, aneurysma, asthma, hydrops, apoplexia, quos ex ordine pertractat, causas, signa, euentum, breuibus enumerat, et curationis fontes tradit. p. 87.
Aneurysma, proprie dictum, Ipsi est dilatatio vasorum in externa aeque, ac interna cordis superficie, aneurysma cordis nominandum. In remediis, aduersus hydropem, scillae, et praeparatorum eius nullam fieri mentionem, miramur. p. 89.
Apoplexiae Neapoli, loco situs humidi, frequentissimae sunt. In sacerdotis eadem enectae cerebro apparuerunt

veſiculae quaedam albicantes, phlegmate quaſi repletae corpori calloſo incumbentes. In alio cadavere cor inflatum detectum eſt, ex quo inciſo duae libraе ſanguinis effluebant, et orificium arteriae aortae adeo dilatatum, vt brachium immitti poſſet; quod tamen exemplum, cum nulla mutationis, in encephalo inuentae, mentio fiat, nos quidem apoplexiae vix annumeraremus. Mira etiam phaenomena cadauer ſexagenarii, temperamento ſanguineo gaudentis, obtulit: nempe vaſorum in toto corpore rupturam, ſanguinis inſignem copiam intra duas menynges, et in ventriculis cerebri extra vaſa miſſam, magnam quantitatem ſeri in cauitate pectoris, pericardium magna mole ſanguinis grumoſi maxime dilatatum, venam cauam, prope auriculam dextram, laceratam, aortam maioris ſolito diametri, et in orificio materia calloſa obductam, lobumque pulmonum dextrum
p. 90. coſtis adnatum. Praeſertim anno 1764 apoplectici, lipothymici et ſyncoptici inſultus, cauſſa in ventriculo haerente, multos potiſſimum, inferioris ſortis, homines iugulauerunt, et ipſe noſter Auctor ſyncopen eiusmodi ſtomachicam bis expertus eſt. Vltimo loco de pulſu in morbis ſubitaneis diſſerit, et demum, oſtendendo, quantum peruerſa, morbos alios tractandi, methodus generandis morbis mortibusque ſubitaneis faueat, toti libro finem imponit.

XXV.

XXV.

Diſſertation ſur le mechaniſme et les uſages de la réſpiration, ouvrage couronné par l'Academie des ſciences, des belles-lettres et des arts de Rouen le 7. Aout. 1765. Par Mr. DAVID, Maitre des Arts et en Chirurgie de Paris. à Paris chez Vallat-la-Chapelle 1766. 8. plag. 13. c. praef.

i. e.

Diſſertatio de mechaniſmo et vſu reſpirationis, praemio ornata ab Academia doctrinarum et Artium Rhotomagenſi, Auctore Cl. DAVID.

Libellus, quem proponimus, bis exhibitus Ill. Academiae, prima vice, nondum omnibus numeris abſolutus, laudes, altera perfectior, etiam praemium promeruit. Eſt autem oeconomia eius haec, vt parte priore reſpirationis modus, ſecundum ſtadia, inſtrumenta, phaenomena et cauſas, experimentis rationibusque definiatur: poſteriore diſpiciatur de eius vſu vero, proximo, remotoque.

Tempore inſpirationis vidit Cl. Auctor dia- p. 14.
phragma deſcendere; coſtas a prima omnes, plus minus duci retrorſum; alteram, tertiam, quartam reliquis veris manifeſtius attolli, minus diſtare: ſpurias neque leuari euidenter, neque diſtrahi; leuatas omnes margine inferiori quodammodo antrorſum prominere; cartilagines fieri rectiores, adſcendere, mutuo recedere, torqueri, maxime in coſtis veris infimis, ſpuriisque ſupremis; ſternum denique attolli. Vnde concludit, agere tunc, praeter diaphragma, non intercoſtales muſculos, ſed ſupracoſtales, ſuperius, auxilio ſerrati poſtici, adiutos, inferius robore, ſaepe et numero, auctos, atque hinc coſtis

coſtis, ceteroquin mobilibus mouendis, ſternique et cartilaginum renisui vincendo ſatis aptos.

p. 27. Exſpirationis phaenomena contraria ſunt. Perficitur inſpirationis muſculorum relaxatione, coſtarum ſternique niſu, cartilaginum vi elaſtica, contractione denique muſculorum, qui per adhaeſiones, fibrarumque directionem coſtas deprimere et mutuo adducere valent, quales, praeter infracoſtales ſternocoſtales atque ſerratos poſticos inferiores, eſſe
p. 35. quoque intercoſtales, exiſtimat; quippe quibus adhaeſiones nullam aliam actionem, quam interſtitii coſtarum imminutionem, concedant, quosque in denudato canis viui thorace relaxatos inſpirationis, exſpirationis tempore contractas, conſpexerit.

p. 46. Primae reſpirationis cauſam, reiectis Cll. BOERHAAVII et SENACI ſententiis, partim in aere quaerit, cuius ſtimulo peregrino, ingrataque in corpus recens nati preſſione, inſpirationis muſculi ad motum inuitentur, partim in vi elaſtica partium pectoris, quae iam in vtero, fortius vero in partu qualicunque compreſſae, neceſſario reſiliant, aerique
p. 60. aditum patefaciant. Semel vero factae reſpirationis continuandae neceſſitatem repetit a neruis phrenicis, animo non parentibus, qui, remittente, quem a pulmonibus, aere turgidis, experti erant, preſſu, nouo ſpirituum penu adducto, diaphragma ad nouam contractionem ſollicitent.

p. 66. Principem reſpirationis vſum, neque in motu humorum, per pulmones expediendo, neque in ſanguificatione, vtroque hoc licet conceſſo; multo minus in aeris admixtione ad ſanguinem, vtpote qui, ex pul-
p. 74. monibus animalium, aquae immerſorum, effluens, nullo experimento bullulas aereas offerat, ſed in re-
p. 80. frigeratione et condenſatione illius ponit. Rariorem enim fieri ſanguinem in arteriis, ex comparata arteriarum ac venarum, cauorum vtriusque cordis,

vaſorum-

vaſorumque pulmonalium amplitudine intelligi monet. Refrigerio autem, eo, quod iam in venis, cutaneis potiſſimum, recipiat, maiore indigere, ex iis declarat, quae accidunt reſpirantibus aerem aeſtuoſum, corpusue nimium exercentibus. Plus quoque calere ſanguinem venoſum in maioribus truncis, quam arteriarum ſodalium, ex aorta productarum, experimentis thermometricis, cum ſanguine venae iugularis et arteriae carotidis, in equo inſtitutis, confirmare tentat. Ceterum, qua ratione ſanguis fetus refrigeretur, alibi vberius exponere promittit.

Ruborem ſanguinis elegantiorem a globulis condenſatis et minoribus deducit; motum vero per pulmones in inſpiratione velociorem, in exſpiratione contra tam impeditum eſſe demonſtrat, vt in corde anteriori oriatur procliuitas ad infarctum, noua demum inſpiratione auertendum. Hinc explicat, cur ſpiritum cohibere diutius, quam ab eo ducendo abſtinere queamus. BAGLIVII motum cerebri et meningum refutat; in denudatis his partibus apparentem arteriis tribuit; reſpirationi vero reſpondere oſtendit, ob difficiliorem depletionem venarum in cor anterius, exſpirationis tempore reſiſtentiam paſſum; ob preſſum muſculorum colli in venas, obque actionem carotidum, tunc vehementiorem. Reliquas reſpirationis vtilitates in voce, loquela, cantu, organi odoratus, infantilis amplificatione, viſcerumque abdominalium muneribus iuuandis conſpicuas, quas Cl. Auctor addit, vberius dici non opus eſt.

p. 107.

p. 117.

XXVI.

XXVI.

ALOYSII PAULI TRABUCCHI, Rhoeti Bormienſis Diſſertatio inauguralis medica, de mechaniſmo et vſu reſpirationis. Viennae, 1768. 8. pl. 10.

Commune argumentum, libellique praecedentis paſſim facta diiudicatio, proximum ab illo locum vindicant diſſertationi huic, ſtudioſe conſcriptae, experimentis in canibus ſeptendecim, decem in felibus, inque ranis numeroſis, a Cl. Auctore captis, ſuperſtructae, caſuque perfoſſi thoracis et diaphragmatis locupletatae, quem tamen, alibi *) iam indicatum, ſilere hic licet.

Reſpirationis mechaniſmo breuiter deſcripto, inſtrumenta aeque, atque phaenomena eius maxime differre monet, quum pure vitalis ſit ſaepius, alias violenta, voluntaria alias. In placidiſſima vitali inſpiratione, praeter aeris furtiuum ingreſſum, thoracis totius eleuationem, abdominisque protruſionem, nil vidit aliud. Negat adeoque tunc coſtas rotari, aut extrorſum verti, retrorſumue trahi, quorum nihil, ne medios quidem inter cruciatus, remittente quodammodo, aut titillatione lenito dolore, in pacatioribus animalium inſpirationibus obueniat. Perfici autem vult hoc inſpirationis genus, neque ab intercoſtalibus carnibus, neque, vt Cl. DAVID contendit, a muſculis ſerratis poſticis ſuperioribus, quippe quos, vel inter dolores quietos, cervicibus potius et ſpinae dorſi mouendis, vna cum ſupracoſtalibus datos eſſe demonſtrat; ſed potius a diaphragmate, quod
p. 17. tamen, per Cl. CRANTZII ſuaque obſeruata, nunquam in deſcenſu ſeſe ex curuitate componat in lineam rectam, ſed potius ſemper in thoracem convexum

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XVII. p. 435.

rexium, in abdomen concauum maneat. Num musculi intercartilaginei, vt Cl. CRANTZIVS affirmabat costarum et leuatores depressoresque sic dicti simul forte agant, experimentis aptis destitutus, in dubio reliquit.

Exspirationis vitalis phaenomena aeris imperce- p. 24.
ptibilem egressum, thoracisque et abdominis subsidentiam, constituit, inque maxime tranquillis animalibus, costarum cartilagines vna cum sterno reduci, interualla minui, angulos descendere, et distare magis, diaphragma rursus adscendere obseruauit. Causas ponit simplicissimas, diaphragmatis relaxationem, ob vires, actione amissas, non vero musculorum abdominalium contractione victas, contiogentem: elaterem porro partium thoracis et vim musculi triangularis. Vnde patere demonstrat, in respirationis vitalis explicatione non opus esse ad animae praesidium confugere cum Stahlianis, quorum argumentis praecipuis refutatis, non omnem motum in instrumento voluntario ab anima proficisci, sed potius ab internis causis externisque, anima prorsus quieta, cieri saepius; neque tamen aptius a sola irritabilitate, vera quidem illa, si iustis limitibus circumscribatur, saepius tamen, vt fuse declarat, cum vi mortua cohaesionis, multoque crebrius cum neruosa, perperam confusa, deriuari, sed potius ab actione neruorum, vel sola, vel cum data aliqua irritabilitate coniuncta, pendere adstruit; satis verum iudicans Cel. VERHEINII postulatum: duorum generum neruos, voluntarios alios, alios vitales organo respirationis datos esse.

Concitatioris voluntariae et violentae respira- p. 66.
tionis modos gradusque exponens, omnia actionis istius phaenomena manifestiora fieri monet; ita tamen, vt saepius in flebili hominum et animalium exspiratione, inspirationis phaenomena concurrant,

currant, quum aer copioſe hauſtus per glottidem
p. 68. conſtrictam lentius egrediatur. Hinc ſaepius, inter eiulatus animalium exſpirantium, abdomen tumere, inſpirantium detumeſcere. In violenta exſpiratione vidit, tracheam ſurſum pelli, quandoque in arcum flecti, pulmonem vltra priſtinam attolli coſtam; in inſpiratione citatiori, coſtis detrudatas moueri vehementer in ſuis, cum cartilaginibus, angulis; dilatari ſaepe; trahi omnes ſimul et ſemel, nunquam tamen retrorſum neque extrorſum verti, ſed adſcendere, minus obliquas manere; interualla coſtarum et cartilaginum augeri virie, in anxiis nixibus ſubito minui, ſaepe eadem manere; intercoſtales muſculos ſaepe in motu ſuo non ſatis poſſe definiri, ſaepiſſime concauos, rarius a valida pulmonis inflatione conuexos reddi; ſcalpello irritatos, in vtroque ſtadio rigere, thoracem abbreviare, non elongare, nunquam perpendiculares fieri.
p. 73. Diaphragma ſubito deorſum rapi, nec planum reddi, niſi in nixibus violentioribus, aut aere in pectus immiſſo, aut neruis phrenicis reſectis, ligatisue, tunc vero in ſaccos inuerti, coſtas et ſternum detrahere, aliquando non moueri, pulmone nihilo minus aerem
p. 75. attrahente. In inſpirationibus violentiſſimis ceteras quoque carnes, thoraci adhaerentes, et reſpirationi alias non inſeruientes, operari admittit. In exſpiratione citaciori violenta animalium obſeruauit conſpicuum in angulis coſtarum, et cartilaginum adſcenſus et deſcenſus motum. Intercoſtalium muſculorum, alias exſpirationem, vt etiam Cl. DAVID vidit, iuuantium, actionem ſaepe indefinitam, ſaepe vtrique ſtadio communem, ſaepe in alterutro nullam; diaphragmatis porro reditum, deſcenſui accommodatum, in nixibus imperfectum, perfoſſo thorace violentum et ſubitum, nimios inter cruciatos languidum reperit; vimque muſculorum abdominis,

longiſſimi

longiſſimi dorſi, ſacrolumbaris, lumborumque quadrati, in iuuandis vehementioribus exſpirationibus, perſpexit.

Addit Cl. Auctor veriorem viſam Cel. CRANTZIO ſententiam, de intercoſtalium carnium actione, qua affirmatur, externas internasque conſpirare, coſtas connectere et ſuſpendere, minuere earum interualla et thoracis longitudinem, pulmonem arctius complecti; ſuperiores aliquando ſurſum, deorſum inferiores magis agere, ſingulas coſtas ſemper approximare, etſi in aliquibus diſtrahi tunc oportet; forte inflexioni inſeruire, agere et poſſe et ſolere aeque, atque diaphragma nonnunquam, in violentiſſima inſpiratione et exſpiratione, vt adeoque omnes omnium obſeruationes, vtut diuerſae, tamen verae ſint; operari vero pro diuerſo corporis vel ſedentis, vel ſtantis, vel varie flexi, ſitu varie, interdum vtroque in latere ſimul, ſaepe in alterutro ſeorſim. Caeterum neque pulmones in reſpiratione prorſus inertes eſſe, neque diaphragmatis aliorumque muſculorum, imperio animi non ſubiectorum, irritabilitati, in neruorum praeiudicium, nimium litandum eſſe, cum eodem Cl. CRANTZIO monet. p. 78.

Reſpirationis vſum ſuccincte et eleganter perſequitur, fidus vbique Cel. BOERHAAVII et Ill. HALLERI praeceptis. Addita ſunt experimenta, ſeorſim expoſita. Summa in calidis animalibus inſtitutorum ex ſuperioribus patet. In ranis facta concernunt fabricam et vſum gutturis, pulmonum, canalis ſpiritualis, thoracis; motum inteſtinorum periſtalticum, cordis et muſculorum irritabilitatem, variis liquoribus frigidis, calidis, narcoticis, medicamentoſis et venenatis tentatam, mutationes deinque, quae a cerebro, medulla ſpinali et neruis, laceſſitis, ligatis, reſectis, tum in illis ipſis, tum in reliquo corpore proueniunt. p. 110.

XXVII.

IO. ZACHAR. PLATNERI Profeſſoris medicinae nuper apud Lipſienſes primarii ars medendi ſingulis morbis accommodata. Lipſiae ſumtibus Caſpari Fritſch 1765. 8 mai. Alph. 1. plagg. 13. ſine praefatione.

Verendum nobis eſſe arbitramur, ne in beati Viri manes iniuriam committeremus, ſi merita eius noſtra commendatione indigere putaremus, quae cum in mentibus eorum, quibus olim ab ore eius pendere contigit, perpetuo infixa haerebunt, tum in ſcriptis eius iamdudum immortalitatem perennemque famam ipſi conciliauerunt. Quae cum apud nos penſitaremus, non potuimus votum ſupprimere, vt beatus Auctor et hunc librum potius ipſe edere potuiſſet, quam vt is nunc, poſt mortem demum illius, prodiiſſet. Nimis enim vera ſunt, quae filius illius FRIDERICUS PLATNERUS, iurium nuper in patria vniuerſitate profeſſor celebratiſſimus, in praefatione, ad Ill. GESNERUM directa, ſcribit, „non leue periculum probabilibus ſcriptoribus con„trahi, ſi libri nondum perfecti, et limae magis, „quam publicae luci, ab iisdem deſtinati, eorum „tamen nomine in fronte, hederae in modum, ap„penſo, edantur.„ Atque hoc ipſum fatum artem hanc medendi ſubiiſſe, ne is ipſe quidem diffitetur, librarium eius edendae conſilium ſe neque conſcio, neque volente cepiſſe aſſerens, ac ne eo quidem exemplo ſimul in vſum vocato, quo, beatus Auctor ipſe vſus fuerit, quodque poſt mortem eius ad IO. BENI. BOEHMERUM, et hoc quoque defuncto, ad fratrem GE. RUDOLPHUM BOEHMERUM legatum tranſierit: ideoque hanc editionem ſolius librarii voluntati deberi, declarat. Nos autem vehementer

hementer optaſſemus, vt ad minimum diſcipulus PLATNERI libri huius edendi curam ipſe in ſe ſuſcepiſſet, quem nulli dubitamus multa expungenda mutandaque inuenturum fuiſſe, quae a doctrina Cel. Auctoris, vltimis annis tradita, prorſus aliena deprehenſurus fuiſſet. Forſan et tunc varii, non adeo leuis momenti, errores, licet typographo tantum tribuendi, euitari potuiſſent, ex quibus vltimam medicamentorum formulam exempli loco adduxiſſe liceat, vbi hauſtus purgans pro infante bienni exhibetur, loco excipientis vncias ſex aquae complectens, quod drachmae ſex etiam praeſtarent. Elegantiam ſermonis, qua omnia b. Auctoris ſcripta maximopere ſe commendant, neque hic deſiderari, facile quiſque praeuidebit. Totius operis diuiſio ſummatim haec eſt: Praemiſſis prolegomenis primo de febribus intermittentibus, poſtea de continuis, dein de exanthematicis, ac tandem de ardentibus agitur, a quibus tranſitus ad inflammationes fit, vbi ſimul de ileo ſeu inteſtinorum inflammatione dicitur: finem tractationis febres, lenta et hectica, et ſcorbutica atque vrticata faciunt. Sequuntur morbi ex plethora ortri dicti, quibus etiam in menſium vitiis abortus et lochiorum fluxus inſerti ſunt. Porro morbis capitis, pectoris, abdominis (vbi etiam malum hypochondriacum pertractatur) viarum vrinariarum, et denique cacochymiae diuerſae ſpecies v. c. hydrops, ſcabies cet. venerei morbi, rheumatici affectus, morbi neruorum, recenſentur, ac denique morbi grauidarum et parturientium, infantum ac ſenum ſubiunguntur. Formulae remediorum in calce totius operis adnectuntur, ita quidem, vt, cui quaelibet paragrapho reſponderet, ſimul indicatum ſit.

In perlegendo opere nimium tribuiſſe efficaciae lapidi bezoar Cl. Auctorem, praecipue in reuocan- p. 34. 56. 64.

dis exanthematibus retropulſis, multum mirati ſu-
p. 29. mus. Corticem Peruuianum ſolum exhibendum, et maxime ab eius connubio cum purgantibus abſtinendum, ipſumque melius in puluere aut electuario, quam in infuſo vſurpandum eſſe, praecipit. Ve-
p. 57. ram peſtem ſemper ex oriente afferri, originemque eius aeri impuro, maxime poſt graues inundatio-
p. 61. nes, adſcribi debere ſtatuit. Purpuram, ab animi
p. 64. vehementi commotione ortam, aliquoties vidit. In hoc morbo acida aliena exiſtimat, nec niſi parciſſima nitro doſi locum relinquit: ad ptyaliſmum criticum iuuandum cinnabarim a granis decem ad quindecim praeſcribit. In tractatione de varioli ne minimum quidem de efficacia corticis Peruuiani, cum eae malae indolis ſunt, dicitur, eo tantum excepto, quod tum decoctum eius, in aluum immittendum, ex
p. 73. medicis Edimburgenſibus ſuaderi narretur. Pariter de inſitione acturus, ad Britannicos auctores prouo-
p. 75. cat. Ad grauitatem auditus, a cauſſa catarrhali ortam, diſcuſſo catarrho, ſuadet mixturae, ex parti-
p. 197. bus aequalibus eſſentiae caſtorei et ſpiritus vini camphorati, guttas quasdam, fruſtulo panis recentis adhuc calidi inſtillandas, et fruſtulum hoc, mediante
p. 231. faſcia, auri externae apprimendum. In aſthmate humido extractum peti, ex aqua coquendum, et ad minimum ſexies iterum ſoluendum, rurſusque inſpiſſandum, ad grana duo vel tria, tamquam poten-
p. 245. iſſimum reſoluens, laudat. In raucitate chronica aethiopis mineralis, ſuper igni parati, bis de die ſex ad octo grana adhibenda commendat. In phthiſi nihil magis nocere mortemque certius maturare monet,
p. 253. quam medicamentorum varietatem. Sic etiam in
p. 282. malo hypochondriaco, aegrorum puſillanimitatem multum nocere, adfirmat, qui quotidie noua conſilia amplectantur et medendi rationem mutent, devoratisque omnis generis pharmacis malum intendant.

dant. Decoctum radicis cichorei recentis in hoc morbo aeque, ac in tumore et ſcirrho hepatis, plurimi facit. Anaſarcam magneſia alba cum ſale cathartico, addito auro fulminante, euratam vidit. p. 286. 291.
Succum ireos noſtratis, elaterium et extractum eſu lae, in corporibus imbecillis facile inflammationem concitare monet. p. 361. p. 362.
In epilepſia membra, quantum fieri poſſit, continenda a robuſtioribus, non tamen nimia vi adhibita, pollices etiam extendendos iubere b. Auctorem, mirati omnino ſumus, quum tamen reſiſtentia eiusmodi, neruis oppoſita, iisdem maiorem omnino vim inferri quotidiana doceat experientia. p. 417.
Ad curationem huius morbi omnia ſpecifica frequentius fallere ſolere, quam prodeſſe, ſub finem tractationis de eodem morbo tradit. p. 420

XXVIII.

DU PORT de ſignis morborum libri quatuor. Quibus accedunt notae auctoris; aliorum eruditorum medicorum; et ſparſim editoris RADULPHI SCHOMBERG, M. D. ſociet. antiquar. Lond. ſoc. — Londini ſumtibus Andr. Millar. 1765. 4. mai. plagg. 7.

Cum olim Cl. HEBENSTREITII de homine ſano et aegroto carmen in commentariis noſtris *) recenſeremus, pauciſſimis aliorum quorumdam ſimiles labores obiter tetigimus; ex ipſis autem morborum ſcriptoribus poeticis non, niſi IOHANNIS ARMSTRONG mentionem fecimus; licet ex ſuperiori aeuo, ſuo quidem iure, et HIERONYMUS FRACASTORIUS et IOHANNES PINCIERUS locum ibidem ſibi vindicare debuiſſent. Nunc equidem non lubet, argumentum hoc vlterius perſequi,

*) Vol. II. p. 533.

qui, in quantum doctrinae medicae partes carminibus materiam praebere queant, et num ipſa poeticēs indoles, ipſeque carminis genius illis, accurate et concinne exponendis, apta poſſint putari, numque adeo ſit affinitas quaedam, et cognationis quaſi vinculum inter vtramque diſciplinam? De quibus quidem multa dici poſſent, ſi inſtituti noſtri ratio ſineret, ſiquidem Cl. REINHARDUM hoc argumentum excutere quidem tentaſſe perſpeximus *), an autem lectorum exſpectationi ſatisfecerit, vehementer adhuc dubitamus. In ſcenam potius producendus eſt ſcriptor, bigae ſuperius adductorum poetarum medicorum coaevus, FRANCISCUS DU PORT, medicus Pariſinus, cuius carmen, quod noſtris iam in manibus eſt, Pariſiis 1584 typis mandatum, et nunc demum, cum rarius redditum fuerit, recuſum eſt. Editor illud ſumme reuerendo GUILIELMO BARNARD, Derenſi epiſcopo, dicauit, ſeque illud, adiunctis ſententiis analogis, ex ſcriptoribus claſſicis excerptis ditare ſtuduiſſe refert, licet etiam hinc inde inter annotationes nouas quaſdam acceſſiones inueniſſe nobis viſi ſimus. Annotationes autem in vniuerſum, ſiue in priori iam editione praeſentes, ſiue recentes fuerint, minoris ſunt valoris et operae pretium fuiſſet, ſi Cl. Editori placuiſſet, in iisdem ea, quae ſtatum doctrinarum medicarum illius aeui, in quo vixit Auctor, ſapiunt, explicare atque recentiorum placitis accommodatiora reddere. Complectitur totum carmen ſeptingentos et quatuordecim verſus, qui in quatuor libros diſtributi ſunt, eo

*) D. CHRIST. TOB. EPHRAIM REINHARDI phyſici apud Saganos, medicus poeta. Pars prima, exhibens de leucorrhea, ſeu fluore albo mulierum benigno, pallore faciei, et lethalitate vulnerum iecinoris, carmina tria. Praefatur de poetis medicis commentatiuncula. Glogouiae, 1762. 4.

eo quidem ordine, vt liber primus, praemiſſo prooemio, ſigna ſanitatis, temperamentorum, morbi imminentis, variorum ſtadiorum morborum acutorum, prognoſtica in iisdem; ſecundus ſigna morborum capitis, colli, pectoris, ac tandem febrium ſpeciatim; tertius ſigna morborum infimi ventris, vbi a morbis viarum vrinariarum tranſitus ad venereos fit; et quartus denique ſigna morborum ſexus ſequioris, grauidarum et parturientium, ac poſtremo exanthematum, arthritidis atque elephantiaſis exhibeat. Carminis genus admodum concinnum eſt atque elegans, ſi a quibusdam licentiis, recentioribus quidem poetis haud adeo facile condonandis, receſſeris, v. c. productione ſyllabae per ſe breuis caeſurae beneficio, ſyllabarum quantitate, propria auctoritate mutata, vt citrīnus, lētium, prōcuro cet. Quo vero iis, quae de reliqua carminis praeſtantia diximus, fidem faciamus, vnum alterumque exemplum in medium iam proferre liceat.

In libro primo imminentis morbi ſigna ita deſcribuntur: v. 66.

Si praeter ſolitam macies, aut corpus obeſum,
Aut calor, aut grauitas, aut ſomnia plena tumultus,
Eque breui ſomno ſopor, aut cutis vlcere foeda eſt;
Si ſudor pectus, ceruicem, crura, genuue
Permeat, aut animus languet, corpusque fatiſcit;
Si dolor aut oculos tenet, aut praecordia, pectus,
Aut capitis venas, horrorue praeambulat artus;
Spiritus aut grauis eſt, repetitus et oris hiatus:
Affore praedicas, vel adeſſe in limine morbum.

p. 195. In libro ſecundo concinniſſima nobis viſa fuit epilepſiae deſcriptio:

Concidit et ſtertit, lotium ſemenque profundit,
Membra quatit, ſtridet, ſpumat, clamatque caducus.

Phthiſeos v. 243 ſeqq. et febris peſtilentis v. 312 ſeqq. ſigna etiam, prae reliquis morbis, in hoc libro deſcriptis, ſeſe commendant.

p. 368. Ex libro tertio melancholiae hypochondriacae ſigna huc tranſcribamus:

Alter et interdum praecordia detinet humor,
Inuoluens picea trepidam caligine mentem.
Qui quando ferus eſt, et anhelo turget ab aeſtu,
Mollia ventoſo reboant hypochondria flatu,
Cor tremit, et valide pulſans cito linquitur, atque
Puniceus faciem tingit color, iraque feruens
Praecipitat, fumusque vagos obſcurat ocellos.

Venerei praeterea morbi ſigna v. 500 ſq. quam maxime egregie expoſita ſunt, at prolixiora, quam quae hic communicare poſſimus.

p. 624. Ex quarto denique libro ſigna conceptus excitemus, ita propoſita:

Horror ab ardenti coitu, ſemenque retentum,
Suppreſſi menſes, venerisque remiſſior ignis,
Os vteri clauſum, mamma vtraque turgida, ventris,
Lumborum, laterumque tumor ſine pondere, liuens
Ex ortis facies maculis, et ſegnis ocellus,
Nauſea, defectusque leues, anorexia, pica,
Concepta perhibent. Lotio ne fide, nec vllis
Ante notis, fetum quam noris ſede moueri.

XXIX.

SEBASTIANI SEBENICO Foroiulienſis diſſertatio phyſiologica, qua reſpiratio fetus in matrice, ex euentu nupero euincitur eſſe nulla. Venetiis, 1765. Typis Coleti. 8 mai. pl. 20.

Femina infimae conditionis die 2 ſeptembris 1765. Corbulone, in ditione Foroiulienſi, legitimo partu puellam enixa eſt, in cuius corpore ſequentia praeter naturam apparuerunt. Os occipitis omnino planum, oſſa vero bregmatis valde eleuata, frontale demum, in media ſui parte, tuber inſigne et duriuſculum praebens, quod preſſum globum, mole ac reniſu bulbum oculi aemulantem, referebat. Aures, quantum ex figura externa apparebat, bene conformatae erant, ſed collo, penes eminentiam poſteriorem maxillae inferioris, adhaerebant. Oculus vnicus ibi ſedebat, vbi radix naſi eſſe debebat, naturalis tamen conformationis; olfactus organon et os prorſus deerant, maxilla vtraque inter ſe arctiſſime coniuncta; in mento macula rubri coloris, parum latae, duorum circiter pollicum longitudinis. Dolendum tamen eſt, puellam hanc, quae breui poſt partum, liuidis per totam corporis ſuperficiem exortis maculis, obiit, ſectione adminiſtranda curioſius diſquiri non potuiſſe. Tria tamen Auctor ex hac monſtri hiſtoria elicit conſectaria: primo fetum in vtero non reſpirare; ſecundo, neque cum liquore amnii nutriri; et tertio demum, meconium, maiori copia collectum, ſtimulo inteſtinis fetus admoto, non ſiſtere poſſe cauſſam motus eiusdem et niſuum ex vtero materno egrediendi.

XXX.

Mémoire ſur la vitalité des enfans: par I. I. L. HOIN, Lieutenant de M. le prémier chirurgien du Roi, à Dijon, penſionaire de l'Académie des ſciences, arts et belles lettres de la même Ville, &c. A Londres, & ſe trouve à Paris, chez Nic. Aug. Delalain, Libraire. 1765. 8 mai. plagg. 3.

i. e.

Super vitalitate infantum tractatus, Auctore I. L. HOIN.

Quatuor fere iam anni elapſi erant, ex quo Cl. Auctor diſſertationem hanc elaborauerat, et in ſocietate academiae Diuiodunenſis praelegerat, quum demum eiusdem in lucem publicam edendae conſilium caperet. Veteres vitalitatis terminum a die 182 poſt conceptionem factam, conſtituiſſe, nota
p. 9. res eſt. Inde primo loco exempla fetuum, ante hoc tempus editorum, qui tamen viui manſerint, recenſentur, quibus ſcriptorum artis obſtetriciae teſtimonia, et fetuum ſeptimeſtrium vitalium recentiores quaedam hiſtoriae ſubnectuntur. Ad cauſſarum
p. 25. ſcrutinium poſtmodum progreſſus Auctor noſter, neque valori numeri ſeptenarii, neque planetarum influxui, neque generatim perfectioni, quam fetus ſeptimo iam menſe tantam nactus fuerit, quanta eidem, extra maternum corpus ſuſtentando, ſufficiat, easdem adſcribi poſſe demonſtrat, poſteaque comparationem incrementi ſucceſſiui partium fetus cum
p. 30. incremento quarumdam partium v. c. gingiuarum, dentium, partium, ſub pubertatis termino euoluendarum, inſtituit, docetque, vt iſtae mutationes non vno eodemque in omnibus corporibus certeque definiendo tempore eueniunt, ſic etiam in fe-

tubus

tubus idem valere debere. Praecipuum momen- P. 33.
tum in ſufficienti pulmonum robore quaerendum
eſt, qui in fetu, a parte ſuperiori et anteriore per
thymum, a poſteriore per ſpinam dorſi et coſtarum
partes poſteriores, ab inferiore per diaphragma, ab
hepate ſurſum preſſum, ideoque cor verſus pulmo-
nes vrgens comprimuntur: quo auxilio iisdem de-
bita firmitas conciliatur, ipſique omnino vel nimis
rigidi redderentur vel prorſus coaleſcerent, niſi liquo- P. 35.
res, a glandulis ſecreti, illud prohiberent. Deſcriptis
nunc mutationibus, quas infantem, recens natum,
ſubire oportet, tandem fetus ſeptimeſtris ſuperſtes
eſſe poſſe monſtratur, cum pulmones eius, ante na-
tiuitatem bene praeparati, alternatim impulſum ae- P. 41.
ris et ſanguinis perferre et ſuſtinere, et incommoda,
a nimia alterutrius copia oriunda, vincere valeant:
ex quo luculenter apparet, primum terminum vi-
talitatis abſolute conſtitui nullum poſſe, ſimulque
iisdem ex argumentis fundamenta diſtinctionis in P. 42.
ter vitalitatem phyſicam, et legalitatem depromi
oportere.

XXXI.

XXXI.

Diſſertation ſur l'origine de la maladie vénérienne, dans laquelle on prouve qu'elle n'a point été apportée de l'Amérique, & qu'elle a commencé en Europe par une Epidémie. Par M. S**, D. M. A Paris, chez P. Fr. Didot le jeune. 1765. 8. plagg. 7.

i. e.

De origine morbi venerei diſſertatio, Auctore M. S**.

p. 1. Septem ſectiones libellus hic complectitur. Prima ex auctoribus quibusdam eius aeui, et mandatis, a ſuprema regni Gallici curia datis, demonſtrat, morbum hunc in Italia, ad minimum iam anno 1494 et in Gallia 1495 notum et graſſatum fuiſſe. Vt ergo eo accuratius definiri queat, num is ex America in Europam delatus dici poſſit, ſectione ſecunda tempus conſtituitur, quo COLUMBUS prima
p. 11. et ſecunda vice ex hac terrae parte redux factus fuerit. Primum iter menſe martio 1493 abſoluit, ac tunc quidem contagium iſtud non delatum eſſe in Europam, commune omnium ſcriptorum ſilentium quam maxime probat; id quod etiam FULGOSI ac TORELLAE teſtimonium, qui morbum hunc iam, ſub initium anni 1493, adeoque prius, quam COLUMBUS reuerſus eſſet, in Italia obſeruatum eſſe ſcribunt, confirmat, licet Auctor noſter in prima ſectione huic argumento minorem fidem adhibere videatur. Difficilius momentum eſt diſquiſitio ſecundi itineris COLUMBI, ex quo die 8 iunii 1496 in Hiſpaniam rediit, quod
p. 21. in ſectione tertia excutitur. Filius eius FERDINANDUS, in deſcriptione paternorum itinerum ſumma fide dignus, ne minimum quidem de morbo

quodam

quodam epidemico tradit, quem classis haec in Europam deportarit: et licet OVIEDO expressis verbis tunc morbum nostrum huic terrae parti illatum esse perhibeat, docet tamen Cl. Auctor, ipsum deceptum esse, siquidem Hispanicum praesidium, in insula Hispaniola relictum, fame atque annona multorum hominum iacturam passum sit, multis eorum ante ab incolis insulae occisis, ideoque COLUMBUS 225 ex iis, plerosque aegrotos, secum ex hac insula deduxerit. Neque probari potest, morbum hunc, aut a PETRO MARGARIT, ex hac insula 1495 ante COLUMBI aduentum profugo, aut a duabus nauibus, quas COLUMBUS, simulac aduenerat, ANTONIO TORRES duci protinus cum militibus, seditionis reis, in Hispaniam remisit, huic regioni communicatum fuisse. In sectione quarta monstratur, exercitum Hispanicum, in Italiam mis- p. 40.
sum, non potuisse morbum nostrum in Gallos transferre. Vt enim taceamus, Hispanos iam 1495 in hanc regionem peruenisse, COLUMBUM vero ex secundo itinere, vti dictum est, 1496 demum Europam repetiisse, rex Galliae Neapolin quatuor dies ante reliquit, quam Hispanicus exercitus ad littora Messana appellere potuit, neque prius, quam interiecto mensis spatio, cum Gallico in praelio Semenarensi congressus est, et pauci, qui ex eo euaserunt, Gallici milites fuga, trans mare capta, patriam repetierunt: accedit, quod tempus huius praelii epocham, qua morbus noster iam in Gallia et Italia innotuit, demum sequitur. Sectio quinta ad obiectiones respondet, quibus origo huius mali ex America defendi posset. Posito enim, exercitui Hispa- p. 47.
nico in Italiam misso interfuisse milites, ex America reduces, qui contagium hic susceperint, quod tamen in priore itinere fieri non potuisse, supra ostensum est, et in secundo ideo fieri non potuit, quia

exercitus

exercitus iſte iam ſub initium anni portum Alicanticum reliquit, MARGARIT vero et TORRES februario demum menſe ex Hiſpaniola diſceſſerunt: argumenta tamen hiſtorica, in ſectione quarta declarata, iſtam opinionem funditus deſtruunt. Silentium porro PETRI MARTYRIS et FERDINANDI COLUMBI multum ponderis habet. Morbi epidemici alii ſemper in infima plebe primo ſe manifeſtant: eadem etiam venerei, teſte ipſo OVIEDO, prima conditio fuit. In eo praeterea lues iſta cum aliis morbis epidemicis conuenit, quod ex oriente in occidentem ſe diuulgauerit, ſiquidem ex Italia in Hiſpaniam tranſiit. Mirum etiam foret, ſi is morbus ſolus ex America in Europam traductus fuiſſet, cum id in aliis morbis endemiis fieri non conſpiciatur. OVIEDO de morbo quodam differit, Americae incolis admodum frequenti, quem *Buas*, *Bobas*, *Boubas*, ſeu *mal de Loanda* dicit, et eumdem cum venereo exiſtimat, quem tamen, ex teſtimonio Cl. COUTINHO, qui in Braſilia ipſe medicinam exercuit, vere ab eodem aeque, ac illum, quem Angli *Yaws* dicunt, ab aliis *Pians* vocatum *) diſtinctum eſſe docet Noſter. In ſectione ſexta diſquirit, quae argumenta ſcriptores mouerint, vt morbi noſtri originem ad Americam
p. 79. referrent. Primus huius ſententiae Auctor LEONH. SCHMAUS habendus eſt, qui eam anno 1518 diuulgauit, poſtquam ſuperiori anno NIC. POTT primus ligni guaiaci aduerſus malum hoc efficaciam commendauerat. Neque tamen illud ſolum Hiſpaniolae incolae hoc remedio tractaſſe putandi ſunt, ſed eodem procul dubio ad morbos ipſis

*) Quem tamen morbum omnino ad venereos pertinere, vel recentior quidem morborum Americae ſcriptor nuperrime a nobis indicatus, Cl. DESPORTES, perhibet.

ipſis familiares, cachexiam, ſcorbutum cet. vſi fuerunt, a quibus morbis Hiſpani, ob ſymptomatum analogiam, ad idem, noſtro etiam morbo applicandum, deducti ſunt. Sectio demum ſeptima Noſtri opinionem de origine mali huius proponit, quae in eo conſiſtit: Omnium morborum epidemicorum et peſtilentialium primordia a vehementioribus tempeſtatum mutationibus deriuarunt Auctores, docentes ſimul, venenum ſub initiis eorum quo ſubtilius, eo efficacius eſſe, et interiecto tempore craſſius veluti, ſimul autem debilius reddi. Atqui vtrumque de noſtro etiam morbo valet: vltimum enim hiſtoria eius teſtatur, prius vero teſtimonia NIC. LEONICENI et ALEX. BENEDICTI confirmant, qui ante annum 1494 et eodem ipſo totam Italiam frequentibus inundationibus, peſte huc illuc graſſante, terrae motibus, fame, hyeme inſoliti caloris, infeſtatam fuiſſe narrant. In eo etiam morbus noſter a ſolummodo contagioſo differt, quod morbi huius generis ſemper eadem ſymptomata monſtrent, vti v. c. deſcriptio variolarum, a SYDENHAMO facta, prorſus non differt ab ea, quam RHASES nono ſaeculo exhibuit, quum contra venerea lues, vno impetu a mutatis tempeſtatibus inducta, adeo magnas mutationes ſubierit. Neque quod FRACASTORIVS iam prodidit ſub initia ſua tantum in Europae plerisque regionibus ſimul obſeruata fuit, ſed eodem etiam tempore in Aſia et Africa. In hanc a Iudaeis, ex Hiſpania fugatis, inuecta a quibusdam putatur, licet hoc plane certum reddi nequeat: hoc tamen ipſum communi opinioni multum aduerſatur, luem ex America in Hiſpaniam delatam fuiſſe, cum Iudaei anno iam 1492 hanc regionem relinquere fuerint coacti. p. 88.

XXXII.

Léttres ſur la methode s'enrichir promptement, et de conſerver ſa ſanté par la culture de végétaux exotiques. Par Mr. PIERRE IOSEPH BUC'HOZ, Médécin Botaniſte Lorrain et de feu le Roi de Pologne, agrégé au Collège Royal des Médécins de Nancy et à la Faculté de Médécine de Lorraine, Démonſtrateur en botanique au dit Collège, Membre dés Académies de Mayence, Metz, Rouén, Châlon, Angers, Dijon, Béziers, Toulouſe et Caën. Tom. prem. à Paris, 1768. 8. pl. 20. chez Caveliér, Durand neveu, Didot le jeune, de bure fils âiné, la Combe.

i. e.

Epiſtolae, methodum tradentes, facile ſeſe locupletandi et ſanitatem conſeruandi, mediante cultura vegetabilium exoticorum. Auctore P. F. BUC'HOZ.

Sat ſpecioſo ſub titulo Cl. BUC'HOZ in viginti litteris, quae hoc tomo continentur, varias, in vegetabilium cultura obſeruatu dignas, res, partim a ſe ipſo, plurimum tamen ab aliis notatas, cum Lectoribus communicare conſtituit. Qua in re, vt
p. 11. in prima epiſtola, quae quaſi conſpectum totius operis ſiſtit, profitetur; duplex Ei fuit conſilium, partim ſcilicet plantas plurimum exoticas enarrare, per quarum culturam agri fertiliores euadunt; partim commoda commemorare conſtituit, quae exinde redundant, ſiue vt alimenta, ſiue vt medicamenta, omni animalium generi vtilia conſideres, ſiue denique vſum in oeconomia ſpectes. Se porro omnia,

omnia, nouiter inuenta, nec non quae et in veterum, et recentiorum libris, de vegetabilium cultura et vſu, traduntur, publici iuris facturum eſſe promittit Cl. Auctor. Singula nunc videamus:

In epiſtola ſecunda de *ſorbo aucuparia* L. agit vbi, deſcripta praeſtantia formae, trunci, florum, fructuum, foliorum, in vſum, quem lignum habet, inquirit, quod ob duritiem, et colorem cineritium, et quod facillime laeuigari poteſt, ad varia opificia et machinas conſtruendas aptum reperitur. Fructus eius cupide quaerunt turdi, inde, vbi creſcit copioſe arbor, maxima in copia, ſumtibus minoribus, aluntur illi aues, vti hoc obſeruauit Noſter in Lotharingia. Verum etiam maximum vſum habent in exornandis hortis; ſiquidem et alimenta pro hominibus inde parari poſſunt: ex ſiccatis enim et in puluerem redactis baccis panis coquitur, et Sueci potum, qui iis loco vini eſt, inde praeparant, et per deſtillationem aquam vitae ex eo obtinent. In re medica, ante maturitatem, ſi adhibeantur baccae, vt adſtringentes in diarrhoeis commendat Cl. Auctor. p. 17. p. 21.

In tertia epiſtola methodum declarat, *phthiſin ſuffimento humido vegetabilium*, vt vocat, *ſanandi*. Iuueni phthiſico, ad quem accerſebatur Noſter, exhibuit primum, praeter nutrientia leniora, bis de die drachmam vnam opiati antiphthiſici MARQUETI, in Lotharingia noti, et infuſum theiforme ex myoſotide, domiciliumque ei ſuadebat in ſtabulis ouium; ſed fruſtra. Quo facto cogitando ad dictam fumigationem humidam peruenit, quam, vt profitetur, ſummo cum vſu adhibuit. Indidit nempe machinae ſingulari, a ſe ipſo inuentae, infuſum aquoſum plantarum bechicarum et balſamicarum, quibus addidit balſama naturalia; et os aegri orificio ſuperiori anguſto applicari iuſſit, vt inſpiraret aerem, particulis illis balſamicis impraegnatum, aeger; p. 33. p. 42.

praeter quod alimenta bonae notae, nec non opiati illius MARQUETI vſum ſuadebat, aegrum illum, nec non multos alios poſtea perfecta gaudere ſanitate profitetur.

p. 49. Epiſtola quarta de *betula alno* L. agit, cuius culturam propterea partim commendat, quia non adeo fertile ſolum exigit, partim, quoniam poſt paucos annos ad varias res in oeconomia, variaque opificia adhiberi, ideoque vſum ferre poteſt. Inde ſuadet iis eius culturam, quorum agri paludoſi ſunt, vel qui ad margines fluminum et riparum arbores plantare cupiunt; plurimum enim aquae inter omnes arbores fert, vti ex obſeruationibus conſtat. In paralyſi optimo cum effectu folia eius adhibuit Cl. Auctor; quibus calefactis, aegrum paralyticum totum obtegunt Heluetі.

p. 65. In epiſtola quinta culturam *tritici Smyrnenſis ſeu miraculoſi* dicti, deſcribit. Eſt ſcilicet triticum ſpica multiplici C. B. quod in regionibus Smyrnenſibus inprimis colitur, vnde in Galliam peruenit; quodque triginta ſex culmos in vna planta gerit; in vnoquoque culmo poſitae ſunt ſex ariſtae, quarum quaeque triginta quinque continet grana. Ex quibus omnibus patet maxime conuenire ruricolis, ſi hanc tritici ſpeciem praeferrent communi; cum agri
p. 75. multo fertiliores inde fierent. Ad multiplicandos culmos adhibuit ſingulares praeparationes, partim a ſe ipſo, partim ab aliis inuentas, quas hic cum Lectoribus communicat.

p. 81. In epiſtola ſexta de coloribus exponit Cl. Auctor, qui ex vegetabilibus obtinentur, et vel picturae vel arti tinctoriae inſeruiunt. Praemiſſa generali tractatione de praeſtantia picturae ac tinctoriae artis; nec non de coloribus, quorum ſex *primitiuos*, vt vocat, aſſumit; eorum cauſſis, aliisque huc ſpectantibus, eas primum hac epiſtola enarrat plantas,

quae

quae et lanam aliaque colore flauo obducunt, vel ad picturam adhibentur; vt sunt acanthus, thymelaea, folia betulae inprimis nigrae Lapponicae; gummi guttae, luteola aliaque.

Quod plantas spectat, quae colore rubro, pur- p. 97.
pureo et coeruleo tingunt, has enumerat in epistola septima. Eleganter rubrum colorem praebent bixa Orellana, lignum Brasilienſe, cachou, qui succus gummoso resinosus est palmae, *areca*, *catechu* dictae; flores carthami, rubia tinctorum, aliaeque exoticae plantae.

Colore coeruleo tingunt paucae tantum plantae, vt indigofera, cyanus, cortex fraxini, galegae, solani, campanulae species etc. vti hoc Cl. Auctor ostendit in epistola octaua, additque eas p. 113.
plantas, quae colorem praebent violaceum, viridem et nigrum. Praeparatione coloris indigo descripta, myrtillos violaceum praebere colorem, nec non baccas basellae, lichenis speciem, contendit Noster. Color viridis elicitur ex fructibus Belladonnae, floribus buglossi, iacobaea, iride, melissa, aliisque. Nigrum colorem praebent anacardium, et inprimis oleum ex fructibus eius, agarici species, alni fructus, lignum Campechienſe, et Iamaicenſe.

In epistola nona iterum tradit curationes phthi- p. 128.
sicae pulmonalis *per suffimigium vegetabilium* factas. Iis scilicet obseruationibus, quas enarrauit iam in epistola tertia, quasdam addit, a MUZELIO, aliisque, ac a se Ipso institutas, quae priora confirmant.

In epistola decima de *lino Sibirico* agit Noster, p. 145
vbi culturam eius commendat; nec non praeparationem, eius variam ac optimam methodum discribit.

Epistola vndecima eas plantas tractat, quae gu- p. 161
stum carnis et lactis animalium deperdunt, si ab iis

comeduntur. Si vaccae et oues thlaſpi deuorant, lac et caro allium redolet; ſi leuiſticum edunt, idem ſapor in lacte et carne obſeruatur: Porro euphorbium ſonchus oleraceus, quem auide quaerunt lepores, et omnes plantae vmbelliferae, vti Cl. HAGSTROEM obſeruauit, eundem edunt effectum. Addit plures, quas ſilentio praeterire licet.

p. 177. *Milium Africanum*, ſ. holcum ſorghum L. commendat in epiſtola duodecima Cl. Auctor, loco ſecalis ſeminare, quoniam innumere ſeſe multiplicat, ita, vt pro vno grano centum et ſexaginta accipere poſſit, qui hanc plantam colit. Requirit vero terram ſabuloſam, duram, nec nimis magna copia granorum vni agro immittenda eſt, ne incrementum et multiplicatio impediantur. In Heluetiam, vbi copioſe colitur, primum ex Africa miſſum eſt ſemen hoc.

p. 193. *De ligno Quaſſiae* epiſtola decima tertia agit, quod Surinamo primum in Europam, per Cl. DALGBERG miſſum eſt; vbi a ſeruo quodam, *Quaſſi* vt remedium efficaciſſimum in febribus malignis, epidemice ibi ſaepe graſſantibus, adhibitum eſt. Deſcriptionem botanicam ſi quis legere cupit, adeat LINNAEUM, *) qui ſingularem ſriptiunculam de ea edidit, quae et a Noſtro laudata ac adhibita fuit. Quod vires attinet, eſt medicamentum amarum, ſtypticum, et in infuſo inprimis adhibetur, ita, vt ad menſuram aquae ſcrupulum vnum ſumant; cuius ſapor tam amarus eſt, vt vix exhiberi poſſit, ob balſamicam tamen vim chinam multo ſuperare creditur. Non ſolum autem in febribus continuis ac intermittentibus ſed et aliis in morbis, malo hypochondriaco, fluore albo, arthridite et ſphacelo, ſummo cum fructu exhibuerunt Noſter, aliique.

In

*) v. Comment. noſtr. ſecund. decad. ſuppl. I. p. 23.

In epiſtola decima quarta, doſin medicamento- p. 209.
rum, ex plantis praeparatorum, non certe determi-
nari poſſe, variis demonſtrat exemplis Cl. Auctor.
Comparat inprimis eorum medicamentorum doſes,
quae et hominibus et aliis animalibus exhibentur. Sic
elaterium, pulpa colocynthidis, cicuta, aloe, variaque
alia, equis aliisque animalibus ad vnciam dimidiam,
vel maiorem doſin exhibentur, cum hominibus gra-
na aliquot, vel ſcrupulus praeſcribuntur.

In epiſtola decima quinta *acmellam* aliasque p. 225.
plantas, vt ſpecifica in calculo et colica nephritica,
commendat. Verbeſina acmella vires exſerit diu-
reticas, diaphoreſin mouet, humores attenuat, et
menſtrua promouet. Eundem effectum in ſoluendo
calculo edit vua vrſi, id quod Cl. MAENIUS confir-
mat; nec non vaccinium myrtillus, ſub forma in-
fuſi vel decocti exhibitae.

In epiſtola decima ſexta culturam robiniae ca- p. 241
raganae ruricolis et hortulanis ſuadet; fructus eius
ab Siberiae et Tartariae incolis in nutrimentum co-
pioſe colliguntur.

In epiſtola decima ſeptima nouam aquam vulne- p. 257.
rariam et compoſitionem globorum balſamicorum,
in Lotharingia notorum, cum Lectoribus communi-
cat Cl. Auctor. Pater eius compoſitionem huius
aquae inuenit, ad quam efficiendam, folia nicotia-
nae, ariſtolochiae, ſedi albi ſ. illecebrae, et ſolani
cum vino albo infunduntur, digeruntur et deſtil-
lantur. Globi balſamici praeparantur ex aloe,
myrrha, maſtiche, ſimilibusque aromatibus; quos,
in aqua vulneraria ſolutos, egregios edere effectus
promittit.

Epiſtola decima octaua de *apocyno* agit, Syria- p. 273.
cum dicto. Deſcripto breuiter habitu plantae, in-
fuſum eius, minori doſi exhibitum, purgare aluum,
doſin vero auctam vomitum mouere, docet; cae-

terum ſumma cum cautione interne eſſe adhibendam ob effectus venenatos timendos. Ex lana, quae feminibus adhaeret, cum animalium lana commixta, in Gallia pilei, et panni ſericei, aliaque conficiuntur.

p. 289. In epiſtola decima nona, infuſum quoddam plantarum balſamicarum, et bechicarum commendat, quod in aſthmate tentauit. Poſtquam initio epiſtolae huius omnia fere remedia huius generis, quibus Galli in hoc morbo vtuntur, enarrauit, hoc ſuum infuſum theiforme ex plantis reſoluentibus ac balſamicis paratum, reliqua omnia antecellere, profitetur Noſter.

p. 305. In epiſtola denique vltima *de ſpigelia*, anthelmia dicta, agit Cl. ΒUC'ΗOZ, cuius vires, contra vermes ſpecificas, multis extollit laudibus. In decocto praecipue adhibuit, dum nempe manipulos duos huius plantae in duabus menſuris aquae coqui iuſſit, vſque ad mediam partem decocta eſſet aqua; colaturae deinde addidit paucam quantitatem ſacchari ſeu ſucci limonum, vel ſyrupi cuiusdam; exhibuitque adultis ſenſim menſuram vnam decocti, antequam lectum irent; infantibus minorem doſin; praeter laxans ex rhabarbaro, ſenna, et manna; et ſperatos vidit effectus, maxima ſcilicet in copia excreuiſſe aegros vermes.

XXXIII.

HENRICI AUGUSTI WRISBERG, D. Med. anat. atque artis obſtetr. Prof. R. Obſeruationum de animalculis infuſoriis ſatura, quae in ſocietatis regiae ſcientiarum ſolemni anniverſario conſeſſu praemium reportauit. Goetting. ap. Viduam b. Vandenhoek. 1765. 8. plag. 7. c. ded. et praefat. Tab. aen. 2.

Quae in omni plus minus putreſcente liquore, ex affuſa, ad animales vel vegetabiles partes, aqua nato, ſeſe offerunt varie mota corpuſcula, animalcula infuſoria dicuntur. Haec nupero ſeculo detecta, repetitisque multorum obſeruationibus indagata denuo disquiſiuit Cl. Auctor, hunc in modum ea, quae per duodeviginti obſeruationes ipſi innotuerunt, in opuſculo hoc tripartito tradens, vt prima ſectione animalis, altera vegetabilis regni effectus deſcriberet, tertia vero obſeruata diiudicaret adiectisque iconibus illuſtraret.

Ex regno animali hirudinem, trichuridem, albumen et vitellum oui, carnem bubulam coctam, veruecinam aſſam, recentem, crudam putridam, ſperma virile, laruasque muſcarum; ex regno vegetabili autem piſa hortenſia, flores phaſeoli, miſcelam ſeminum cardiacae, geranii, matricariae, ceparum et chryſanthemi, porro ſemina cannabis, napi, ſeſami, avenae et milii, apiumque paluſtre recens et ſiccum examinauit; quin immo etiam aquam fluuiatilem. Adeo autem breuiter omnia complectitur, vt ſingulorum epitome tradi haud queat. Vſus eſt vt plurimum microſcopio compoſito Anglicano illoque horizontali, lenteque, cuius focus eſt dimidia pars lineae.

Vidit varium animalculorum gregem, quorum alia minima ſunt, rotunda, ouata, flauedine et motu, quaquauerſum liberrimo, a bullulis aereis diſtinguenda, ſolitaria, aliquando gregatim decurrentia, aliquando in membranam quaſi vel colliculum congregata, reliquis inprimis polypis pro nutrimento inſeruientia; dein alia maiora, quae Cl. JABLOT *Cornemuſes* dixit, ouata, anterius acuminata, obtuſa poſterius, proboſcidem cylindricum plerumque exſerentia; porro globoſa alia, exacte rotunda cum cauda duplici, forcipe ſimili; alia deinceps lata, ampla, ouata, in vtroque extremo acuminata, apice poſterius duplici ex articulis compoſito, admodum mobili, praeterea alia piſciformia, longiuſcula, vtrinque acuminata, pellucentia, in medio latiuſcula, opaca, motu repente tardiore; velociſſimo rurſus alia, capite rotundo obtuſo, trunco cylindraceo, cauda bifurcata, acuminata; alia quoque perfectiora, pedibus, cauda, capite cornubus, ſeu antennis pilisque inſtructa; poſtremo polypos extenſiles, contractiles, infuſoria reliqua deuorantes, pedunculatos, campaniformes, ore hiante, contracto illo acuminatos, muco et fragmentis cohaerentes, aliquando plane liberos, cum medio quodam puncto obſcuro, nunquam non ſeſe moventes. Quorum quidem omnium formas, pro vario tamen ſitu et motu ipſorum diſcrepantes, icones, a Cl. Auctore ipſo confectae, exprimunt.

p. 82. Ad geneſin illorum, praeter aerem et modicum caloris gradum, aquae miſcela cum corpuſculis animalibus vegetabilibusue, arte vel natura facta, requiritur. Elapſo die vno alteroue, incipiente iam motu putredinoſo, praeter bullulas aereas euoluuntur moleculae minimae, albidae, rotundae, copioſae, ſeorſim vel confertim poſitae, veſiculares. Senſim iam adoleſcunt in animalcula, non diu duratura, cito

cito autem, ab affuſo vel acido vel alcali, enecanda. Par eſt mucorum generationis ratio, de qua pauca profert. Vti vero Cl. Auctori inter polypos, animalcula infuſoria et forte quoque ſpermatica, arctiſſimum extare ſimilitudinis vinculum videtur; ita ſententiam, qua omnia ex ouo prodire dicuntur, non ſolum argumentis, ab infuſoriis corpuſculis, mucoribus, muſcis atque fungis, verum etiam ab animalibus perfectis deſumtis, dubiam reddere illaborat. p. 92.

XXXIV.

Von den Krankheiten einer Armee, aus eigenen Wahrnehmungen in dem letztern Preußiſchen Feldzuge, mit practiſchen Anmerkungen aus den beſten Schriftſtellern von E. G. BALDINGER *D. Langenſalza, in Ioh. Chriſt. Martini Verlage,* 1765. 8. *Seit.* 326. *ohne Dedic. Vorrede und Regiſter.*

i. e.

De morbis exercitus obſeruationes, in nupero Boruſſorum bello factae, et annotationibus practicis, ex optimis ſcriptis depromtis, illuſtratae ab E. G. BALDINGERO. D.

Libellus hic, quam maxime hiſtorico ſtylo, neque commodo ordine, conſcriptus, in tres diſpeſcitur partes; quarum prima valetudinarii bellici Regii Boruſſiae rationem, altera diaetam, a militibus in bello obſeruare ſolitam, tertia vero ipſos in bello occurrentes morbos deſcribit.

In prima parte, in duas alias iterum diuiſa, quarum prior de valetudinario bellico Boruſſorum in genere, poſterior de noſocomio bellico apte beneque diſpoſito agit, Cl. Auctor copioſam admodum, p. 4.

multaque ſuperflua, ſaepiusque repetita, continentem facit recenſionem medicorum, chirurgorum, pharmacopaeorum militum aegrotantium, in bello curam habentium; locorum, ad noſocomia bellico idoneorum; oeconomiam in iſtis aegrorum domiciliis curantium virorum; in ſpecie duorum illorum, in nupero bello Torgauiae et Wittebergae conſtitutorum valetudinariorum rationem: tradit praeterea, quaenam ſit ratio, cum vulneratos, tum morbis internis affectos milites in bello curandi, et quaenam ſint et medicorum et chirurgorum, cum pluribus,
p. 31. tum nulli duci, ſubiectorum hac in re officia: Ad valetudinarium bellicum bene ordinatum requiri docet, vt medici ſint et proba rerum medicarum notitia, et experientia inſtructi, humani atque officioſi, a rege vel imperatore exercitus bene aeſtimati; vt porro in pharmacopoliis pauca mixta et liquida, multo e contra ſimplicia, pluribusque indicationibus ſimul adaptata, medicamenta, eaque caute aſſeruentur: vt deinde, in inferiorum nec adeo exercitatorum medicorum vel chirurgorum commodum, condatur ſyſtema, quod vel, vti Cl. Auctor dicit, b. HEBENSTREITIUM Noſtrum, in ſynopſi quodam therapiae, quam Noſter ſimul ſpem facit aliquando edendi, feciſſe, generalia vel particularia, ſolis militum morbis accommodata, therapiae
p. 49. praecepta tradat; vt denique etiam miles aegrotans bene, ita tamen, vt omnes, principibus moleſti, nimii ſumtus abſint, nutriatur.

p. 62. Diaetam militum in bello, in ſecunda parte, ita deſcribit, vt primum ea diaetae vitia, nec ab imperante, nec a medico caſtrenſi remouenda, vel in ipſorum plurimorum militum neglecta morum cultura; vel in circumſtantiis, cum bello neceſſario coniunctis; vel in alimentorum potulentorumque modo inopia, modo abundantia; vel in nimio motu; vel

in

in affectuum animi, potiſſimum timiditatis, intemperantia, vel in immunditie, parcaque rerum, in bello gerendarum, conſuetudine poſita fuit, recenſeat; tum, quaenam ad militum ſanitatem conſervandam, aeris, aquae, locorum, cibi et potus, veſtium denique ratione, ab imperantibus et medicis curanda ſint, edoceat, exemplisque illuſtret. p. 82.

In tertia denique huius libelli parte, vbi de morbis, quibus in bello milites ſunt obnoxii, agitur, praemiſſis variis de ſtudio ſuo, veros propriosque militum morbos diſquirendi, laudatis PRINGLIO, HOMIO et SCRETA, veluti optimis hac in re ſcriptoribus, amplaque tandem commodorum et incommodorum medicis caſtrenſibus, in diſciplinarum ſuarum incremento occurrentium, vel in aegrorum viſendorum rariorumque phaenomenorum multitudine, vel in cadauera ſecandi opportunitate, vel in imperantis ſummiue medici lenitate aut pertinacia, vel in aegrorum, modo huic, modo illi, medico aut chirurgo traditorum, proeliique tempore, modo huc, modo illuc translatorum, ratione: vel in librorum conſulendorum inopia, conſiſtant, deſcriptione facta, primum illos morbos, quibus etiam alii homines afficiuntur, tunc eos qui, licet in aliis cadant homines, in caſtris tamen frequentius occurrunt; tandem illos potiſſimum, quibus Boruſſi nupero in bello eam maxime laborabant, tribus ſectionibus contemplatur Cl. Auctor. p. 95. p. 105.

Morbis, alios ſimul homines male habentibus, annumerat, calculum, epilepſiam, melancholiam et maniam, variolas, tandemque purpuram. Calculum, cum dolore, inflammatione, ſpaſmo, vlcere, vrinaeque obſtructione coniunctum, ab aliis ſimilibus morbis diſtinguit, in eius curatione ſpecifice ſic dicta diuretica, et, praeter epithemata, balnea et enemata p. 122.

enemata emollientia, temperantia, ſi vlcus adſit, corticis Peruuiani, cum theae foliis mixti, vſum, et pilulas ſaponaceas, paroxyſmo abſente, datas, aquam
p. 125. calcis vivae, vuamque vrſi, commendat. Epilepſiam, quam a ficta probe diſtinguere iubet, in haereditariam, congenitam, acquiſitam, et ſymptomaticam diuidit; ipſi idiopathicae non tam frequenter, quam ſymptomatica, in caſtris obſeruandae, ſpecifice obeſſe monet viſcum quernum, nec non, quia acidum corrigat, aquam calcis viuae; Ill. COTHENII puluerem antiepilepticum, ex ſuccino cum oleo tartari trito, millepedibus, nitro, arcano duplicato, ſemine lycopodii, limatura martis, cinnabari, et eleoſaccharo foeniculi digeſtum, reiicit; camphoram, maximeque, ſi cum amygdalis trita in emulſionis formam redigitur, nec minus pilulas, ex radice valerianae confectas, ſumme vtiles eſſe putat; cauſas epilepſiae frequentiores, non ſemper vno eodemque tempore aeque efficaces, copioſe tradit, exemplisque illuſtrat, epilepſiam denique, a vulneribus diu durantibus obortam, pertinaciſſimam eſſe docet.

p. 134. In melancholia et mania, quas a variis ſcriptoribus, inprimis MUZELLO, egregie deſcriptas eſſe refert, et quomodo a refrigerio, ira, ſcabie retropreſſa, febribusque malignis pendeat, exponit, praeter alui ſolutiones et alia, cuicunque cauſae accommodata, remedia, inprimis tartari tartariſati, nec non aceti vſum commendat, et de ſcabie, per
p. 140. artem inſerenda, aliqua monet. Variolas in caſtris rarius occurrere, easdem, licet antea benignae fuerint, in malignas mutari, dicit, idque exemplo militis cuiusdam, qui variolas quidem iam ſuperaverat, in noſocomium bellicum, Torgauiae conſtitutum, delatus, corpus tamen habebat, nigra quadam ſquamoſa cruſta obductum, ſimulque magnam

oris

oris raucedinem, et ab his malis, quae noſter pro variolis verrucoſis habet, per balneorum, mercurii dulcis, decoctorumque vſum ſanabatur, probat. In purpurae, quam cum puer, tum medicus ca- p. 142.
ſtrenſis paſſus eſt, et ſuo ipſius exemplo, Cl. HEINRICI, ſuper hac re geſtum diarium, iam ſuccincte Auctoris diſſertationi, de morbis militum, nec non amplius operi chirurgicarum obſeruationum Cel. BILGUERI inſertum, vna cum tabula, pulſus in diuerſis diebus diuerſam rationem denotante, et in fine noſtri libelli annexa, exhibens, copioſe illuſtrat, natura et indole contra Ill. HARNIUM, medicum pro exanthematum Auctoribus habentem, aliorum Virorum ſententiis admodum confuſe adductis, vehementer irruit; purpuram et omnia alia exanthemata viribus vitae, nullo antea exhibito medicamento, e corpore elici; et forte Cl. MEDICUM, lege inflammatoria illa oriri, autumantem, recte ſentire putat.

Ad alteram morborum militum claſſem, quae p. 261.
eos, qui, aliis quidem hominibus communes, in caſtris tamen frequentius occurrunt, comprehendit, ex Auctoris ſententia pertinent, febres ſimplices plethoricae (*einfache Blutfieber*) et inflammatoriae; febris catarrhalis benigna; tuſſis, diuerſaque aſthmatis genera; arthritis, rheumatiſmi et cephalea chronica; phthiſis et febris lenta, febris quartana, tertiana, hydrops et tympanitis, icterus, variae alui fluxiones, variae ſcabiei ſpecies, ſanguinis profluuia, apoplexia, paralyſis; ſopor et catarrhus ſuffocatiuus, eryſipelas et gangraena, denique vermes. Febrem illam ſimplicem, quam plethoricam diximus, Noſter leuiſſimam eſſe, et ſolos illos, belli laboribus aſſuetos, iuuenes afficere dicit. Febris autem inflammatoriae, quam ab illa, quae a ſtaſi humorum

humorum oboritur, diſtinguit, varia conſtituit genera, frequentiusque in caſtris anginam et pleuritidem, rarius veram illam ventriculi occurrere, et in pleuritidis curatione epithemata humida ſiccis
p. 168. antecellere docet. In catarrhali benigna febre, pedeſtres milites potiſſimum afficiente, diaphoretica
p. 171. ſpirituoſa cautiſſime propinanda eſſe monet. Tuſſes, quas in caſtris vel ſiccas, vel humidas, vel conuulſiuas, nec non omnia, qualiacunque ſint, aſthmatis genera, propter innumera, ex bellicis laboribus in militum pectora redundantia, incommoda, frequentiſſime in caſtris obſeruari, et in iis ſanandis ſimpliciſſima, ex gummi ammoniaco et ſquillitico oxymelle parata, medicamina egregii vſus eſſe, luculenter probat.

p. 174. In arthritide et rheumatiſmis, varie inter ſe differentibus, et potiſſimum vel calidis, vel chronicis, ex variis ſcriptis varia commendat remedia, inprimis tamen ea, quae ex ſapone parantur, nec cephaleas chronicas in bello rariores eſſe monet.
p. 181. Phthiſin febresque lentas, in equeſtres milites praeſertim cadentes, prae aliis etiam a tergi per bacu-
p. 184. los concuſſione pendere, arbitratur. Febris quartanae, cuius malignitatem praecipue in chirurgorum incongruam medendi rationem confert, et quam male in tympanitidem vel hydropem, feliciter in ſcabiem terminari dicit, curationem copioſe, pluribus, ſaepeque valde compoſitis, recenſitis medi-
p. 198. camentis, illuſtrat. Sic etiam in febre tertiana, non tam vehementia remedia poſtulante, in caſtris raro maligna vel apoplectica, explicanda verſatur, et inter alia praecipue radicis ipecacuanhae cum rhabarbaro, corticisque Peruuiani cum radice ſerpenta-
p. 204. riae Virginianae vſum laudat. Hydropem, cum ſymptomaticum, tum idiopathicum, cum fixum, tum vagum, a variis cauſis pendentem, copioſe deſcribit,

deſcribit, inſignemque medicamentorum, cum reſoluentium, tum abducentium, tum roborantium, in bello contra hydropem vſurpatorum, cateruam exponit.

Tympanitem, non, vti Cel. PRINGLIUS, ſemper ab intermittentibus febribus, per corticis incautum vſum male curatis, ſed et ab aliis cauſis, variisque praeſertim viſcerum abdominalium obſtructionibus oriri, vel in ventriculi et inteſtinorum, vel in peritonaei cauitate, vel extra peritonaeum, inter hoc, telamque muſculorum celluloſam ſedem habere; ſaepe, inteſtinis nullo modo expanſis, adeſſe; raro ſolam deprehendi, interdum per aerem vterum diſtendi; et in ipſa tympanitidis curatione omnia, flatus mouentia, remedia caute propinanda eſſe, fuſe admodum oſtendit. Icterum, quem non, vti Ill. VAN SWIETEN putat, a chronicis febribus, vel diaeta neglecta ſola, ſed et ab aliis cauſis, v. c. vulneribus capitis, oriri docet, ex alius chirurgi obſeruatione, poſt proelium Keſſeldorfienſe, a vulneribus capitis letalem factum eſſe, ſaepe epidemicum deprehendi, in bello vehementiſſimis reſoluentibus pertractari, et, ſi in mortem terminetur, a diarrhoea excipi enarrat. Fluxuum alui, vel criticorum, vel ſymptomaticorum, maxime chronicorum varias cauſas, nec non permulta ex plurimis ſcriptis depromta ad illos eaque, quae cum iis coniuncta ſunt ſymptomata cohibenda remedia enumerat. In ſcabie, non ſemper, vti Cel. PRINGLIUS vult, contagioſa, et a vermibus ſub cute repentibus oborta, ſed vtique multum varia, pluribusque ſub morbis, praeſertim ſi retropreſſa fuerit, latente; quoad differentias ſuas optime ab Ill. CRANTZIO *) deſcripta, milites magno cum dolore, cruſtisque

p. 220.

p. 226.

p. 231.

p. 239.

*) In diſſ. de ſcabie et eius claſſibus. Viennae, 1760.

ſtisque pererraſſis, afficiente, quaenam in caſtris adhibeantur, et quomodo adhibenda ſint, medicamina, fuſius enarrat.

p. 254. Sanguinis profluuia, vel a vulneribus oborta, optime per preſſionem, quae per puluillos denſiores fit, ſiſtenda, vel ſcorbutica, vel cum alui excretione coniuncta, vel apud iuniores milites e naribus, vel, potiſſimum apud equeſtres milites, ex ano, ſub haemorrhoidum nomine, vel denique e pulmonibus enata, breuiter contemplatur. Apoplexiam et lethargum, vel a nimio ſanguine capitisque vulneribus, vel a pituitae inſigni copia; catarrhum ſuffocatiuum vero, a variis excretionibus ſuppreſſis, vlceribusque inueteratis oboriri, et ad has cauſas, in morborum horum curatione, attenp. 261. dendum eſſe probe monet. Eryſipelas, in caſtris admodum varium, multumque frequens caute ſanandum deſcribit. Aduerſus gangraenam ex mente Cl. BILGUERI frequentem ſcarificationem, vſumque corticis Peruuiani vehementer laudat, et vtriusque vtilitatem militis cuiusdam, triſtiſſima gangraena in pede ſiniſtro affecti, et per trium pene ſeptimanarum interuallum adhuc viui conſeruati, exemplo copioſe demonſtrat, monetque, in bellicis valetudinariis cauendum eſſe, ne aegri, ob diuturniorem cubitum in humeris, vel lumbis gangraenoſis affip. 276. ciantur maculis. In vermium cauſis morbisque, quos producunt, vel comitantur, potiſſimum vero in anthelminticis ſic dictis medicamentis exponendis copioſiſſimus eſt, et quam maxime corticis Peruuiani, camphorae, acidique vitriolici vſum commendat.

p. 285. Morbos, militibus in nupero bello, proprios, quos in tertia parte pertractat, breui quadam introductione, in qua, hos morbos acutos, putridos, et contagioſos eſſe, a vitae militum genere oriri, rariſſime per perfectas criſes, frequenter per metaſtaſin

ſtaſin, in pectore extremo factam, terminari, multis antea iam expoſitis, iterum repetitis, tradit, praemiſſa, eo perſequitur ordine, vt primo de febre vera caſtrenſi, tunc de ſcorbuto, poſtea de diarrhoea; deinde, de dyſenteria, tandem de ſcabie maligna agat. Febris militum, quam vocat, ab Ill. KELLERO pro catarrhali maligna habitae, deſcriptionem ex eiusdem Viri obſeruationibus tradit, ipſam, pro caſtrorum hybernalium diuerſitate, diuerſam eſſe, aeſtate cum vehementioribus ſymptomatis et delirio, diarrhoeisque, ab humorum reſolutione obortis; hyeme vero magis cum languore, et diarrhoeis, a refrigerio enatis, coniunctam deprehendi; varie terminari, et vti, putridos morbos, curandam eſſe, docet. p. 291.

Scorbuti, naturam et cauſas ſecundum LINDIUM, quem optimum hac de re putat ſcriptorem, aliorum ſententiis tamen ſimul additis, exponit, eundem Ao. 1758. circa Vratislauiam epidemice regnaſſe, et ad Ill. STOERCKII methodum infuſo armoraciae cereuiſia vel vino facto non neglecto optime curari, edocet. p. 298

Diarrhoeas vel autumnales ſic dictas, ad quas bilioſae pertinent, vel putridas, dyſenteriae affines, ſaepe a moerore animi obortas, caute per euacuantia et adſtringentia tractandas, et in iis tollendis extractum ligni Campechiani, aqua menthae criſpae ſolutum, efficaciſſimum eſſe, declarat. p. 305.

Dyſenteriam, licet frequentius occurrat, a ſe tamen rarius obſeruatam, ſaepe cum vehementi febre coniunctam, optime per rhabarbari cum radice ipecacuanhae mixti, corticis Peruviani, gummi Arabici, et aquae calcis viuae cum lacte mixtae vſum tolli demonſtrat, et aliquantum iocoſe, quaenam ſint radicis ipecacuanhae rhabarbari, et corticis ſimarubae ex mente Exp. RIDIGERI principia, enarrat. p. 311.

Tandem de ſcabie maligna p. 317.

lgna, vt vocat, ita agit, vt eam cum febribus putridis et ſcorbuto coniunctam eſſe, per denſam, viridiuſculam cruſtam ſeſe manifeſtare: in ſtadio eruptionis propter, paruas cryſtallinas pellucidasque veſiculas, cum purpura conuenire, deinde vero in piſi magnitudinem habentes ſuppurantesque quaſi variolas cum dolore et ſtupore coniunctas mutari, multum deinde impuriſſimi fundere puris, a refrigerio cum artuum tumore dolorifico, a nimio calore cum vrente quaſi dolore coniunctas deprehendi, ſaepe, muſcorum ad inſtar, pilis obſitas eſſe, ab omnibus iis, quae febres putridas gignant, cauſis oriri, et per balnea, irritantia, lenientia, euacuantia, et antiputrida, prouti circumſtantiae poſtulent, ſanari debere, affirmet, enarretque, multis ſane verbis, totum huius, quo ipſe per vnum annum affectus fuit, morbi decurſum.

XXXV.

Proeve over de voornaamſte langduurige gezwellen, door DAVID VAN GESSCHER, chyrurgyn te Amſterdam. Te Amſterdam, by Ian. Morterre 1767. 8 mai. 19 plagg. cum dedic. praef. et indice.

i. e.

Tentamen ſuper praecipuos tumores chronicos Auctore DAVIDE VAN GESSCHER.

Diuiditur hic tractatus in octo capita, quorum primum annotationes, de *doctrina tumorum in genere*, complectitur; pertractantur in altero *tumores glandularum*, *ſcrophulae*, *ſcirrhi* et *cancri* ſ. *carcinomata*; in tertio *tumores cyſtici* ſ. *tunicati*, *atheroma*, *lupia*, *ganglion* et *ranula*; agit Noſter in quarto de *tumoribus adipoſis* ſ. *ſteatomate*, in quinto de

tumoribus

tumoribus duris, ſarcomate, polypo naſi, pa-
ruli, ſarcocele, polypo partium genitalium ſexus ſe-
quioris et excreſcentiis articulorum. Examinat in ſexto *tumores aquoſos, oedema, hydrocephalum* cum *ſpina bifida, hydatidem, hydrocelem, hydropem articuli;* in ſeptimo *tumores vaſorum ſanguiferorum, aneuryſmata* et *varices* et in octauo demum *tumores dubios, broncho-*
celen ſ. *herniam gutturis, abſceſſus frigidos* et *tumores lymphaticos.* Iam cum ea, quae Cl. Auctor hic habet, non ita iuſte ad finem noſtrum, quem in brevitate nobis poſuimus, ſpectent, quaedam ex his, definitiones, cauſam proximam, et methodum curandi, quae digniora nobis videntur, excerpemus, quibus nonnulla interdum, quae ad diagnoſin et diviſionem horum tumorum faciant, adſpergemus.

Inter *glandularum tumores* hi ſunt notandi: *Stru-* p. 12,
mae ſunt tumores duri, indolentes renitentesque, in ſimplicibus glandulis, vel in compoſitis habitantes. Hi tumores ſunt vel *benigni*, aegris non ita periculoſi, vel *maligni*, qui aegros magis excruciant. Illi medicamentis reſoluentibus, hi vero exſtirpatione p. 22.
vel exulceratione curantur. *Scirrhus* eſt tumor durus, ex ſubſtantia aeque dura, indolens, non niſi in glandula conſpicuus, rariſſime ſolubilis. Cauſa proxima ponenda eſt in degenerata ſubſtantia glandulae cellulari; vel in corruptione, craſſitiem, duritiem expanſionemque augente, vaſa glandulae comprimente, ſecretionem pinguedinis eiusque reſorptionem impediente, textumque ipſum cellularum cum ſubſtantia glandulae, in corpus durum mutante. Curatio, ſi qua datur, in exſtirpatione poſita videtur. p. 31.
Scirrhi recentes, liberi h. e. vicinis partibus non adnexi, ex cauſa externa nati vel in corpore enchymo oriundi, melius et facilius curantur, quam qui iam inueterati ſunt, cum vicinis partibus cohaerent, et ex cauſa interna vel in cacochymicis oriuntur. *Cancer*

p. 34. *Carcinoma* eſt tumor, ex ſcirrho ſaepiſſime oriundus, pruriens, dolens, pulſans interdum et pungens, figuram rotundam in irregularem immutans, cutemque, tumorum obtegentem, varicoſam, pedum cancrorum ad inſtar, reddens. Cauſam proximam eandem, quam ſcirrhus, habet. *Cancer occultus* exſtirpatione auferendus eſt. Belladonna, ſolanum, cicuta cet. ab aliis in hoc morbo, vt ſpecifica, commendata, Noſtro non ita arridere videntur. Externos potius exſtirpandos, internos naturae committendos eſſe putat.

p. 50.

p. 55. *Tumores cyſtici* ſ. *tunicati* in capite tertio abſolvuntur: *Atheromatis* tres ſunt ſpecies: prima in glandulis ſubcutaneis ſedem habet, quippe quarum maxima ſuperficies cuti inhaeret. Apparent rotundae, non ita magna, cuti agglutinata, nec, ſine hac, vllo modo poſſunt deprimi; altera profundius haeret, cuti non firmiter adnexa eſt, ſed ambitu ſuo telae cellulari inſidet. Semper maiora, quam primae ſpeciei ſunt, et libere vndiquaque moueri poſſunt; tertia demum ſpecies in glandulis ſeroſo lymphaticis cernitur. Dignoſcuntur ex ambitu maiori, profundo ſitu in muſculis, et ex inſigni mobilitate.

p. 62. Cauſa proxima priorum duarum conſiſtit in coacervatione materiae, in has glandulas ſeponendae, nec iuſte per vaſa exhalantia excernendae. Tertia oritur ex collectione et corruptione materiae, in glandulis ſeroſo lymphaticis contentae. Recentia emplaſtris gummi ſaponaceis et ferulaceis; inueterata exſtirpatione curantur. *Lupia* (boongezwell) eſt tu-

p. 69. mor albus, nonnihil elaſticus, indolens, lentiformis, et in vicinia ſaepius articulorum conſpicuus. Cauſa proxima pendet a collectione humoris mu-

p. 76. coſi aucta in glandula mucoſa. Curatio reſoluentibus,

p. 77. in inueteratis diſſectione vel exſtirpatione abſolvitur. *Ganglion* (peezknoop) duplex eſt: *prius* eſt tumor paruus

parvus in neruis ſubcutaneis, ad piſi magnitudinem, aegrumque vehementiſſimis doloribus continuo excrucians. Symptomata, dolor, vigilia, febris, partisque affectae immobilitas, topica reſpuunt, nec, niſi reſoluentibus, ſopiuntur. Vera curatio exſtirpatione perficitur; *poſterius* eſt concretio neruorum, ex ictu vel duriore labore oriunda. Tumor ipſe eſt durus, longitudinalis vel ovalis, in ſuperficie interdum inaequalis, indolens, colorem cutis non immutans, ad latera tantum mobilis, et magnitudinem ſaepius olivae aequans. Cauſa proxima pendet a collectione humoris gelatinoſi in vagina tendinum. Curatur reſolutione vel inciſione. *Ranula* eſt tumor mollis, p. 83. flaccidus, non ita doloroſus, in apice linguae, ad hoc vel illud frenuli linguae latus, vel ad vtrumque ſimul conſpicuus. Oritur ex mala diſpoſitione partium ſolidarum, et obſtructione vaſorum excernentium. In cura ad inciſionem, vel, quod melius videtur, ad cauterium actuale Noſter reſpicit.

Steatoma, quod in capite quarto, ſub nomine p. 87. *tumoris adipoſi* pertractatur, eſt tumor magis minusve ingens, nonnihil planus, indolens, *atheromate* durior, renitens, elaſticus, colorem cutis, non immutans, liber et undiquaque fere mobilis. Oritur ex collectione, accumulatione indurationeque maſſae pinguedinoſae in cellulis. Exciſione curatur.

Varios tumores, cum ſubſtantia dura, firma, in p. 95. capite quinto Cl. Auctor examinat. *Sarcoma* eſt tumor durus, firmus, in tunica cellulari ſitus, indolens, inſenſibilis. Sunt ipſi hi tumores vel *connati* vel *acquiſiti*, et non, niſi in ortu, differunt, vbi hi maiores ſtatim et duriores, quam illi deprehenduntur, qui naevis maternis reſpondent. Cauſa pro p. 100. xima eſt in corrupta tela celluloſa et diſtenta, ab ex-

 tenſione

tenſione vaſorum, ibi iacentium, oriunda. *Acquiſiti* recentes medicamentis emollientibus, reſoluentibus, et leniter adſtringentibus curantur. *Inueterati*, ne eruptio fiat, adſtringentibus, et, eruptione facta, antiputridis, exſiccantibus anodynisque tractantur.

p. 106. *Polypus naſi* eſt eminentia intra orificia narium, ex integumentis earum interioribus excreſcens, vel ſimplex, vel in varios proceſſus diuiſa. Sunt *polypi carnoſi*, qui ad *excreſcentias* pertinent, *mucoſi* et *cartilaginei*. Oriuntur priores ex degeneratione telae celluloſae, tunicam pituitariam formantis; *mucoſi* collectioni praeternaturali muci in glandulis pituitoſis (*mucoſis*) cellulisque membranae dictae, originem debent. Quaerit hic Noſter: *numne polypus vno*

p. 114. *ſemper pedunculo baſi adhaereat*, *an pluribus?* Poſterius et aliorum et ſua experientia confirmatur. Curatio, quam Cl. Auctor fuſius explicat, eo redit, vt cauſae, ex quacunque labe, venerea, ſcorbutica, carcinomatica cet. oriundae, accommodetur. Veſicatoria et fonticuli commendantur. Si vero oſſa ſpongioſa, vel alia, naſum componentia, infeſtata fuerint, exſtirpatio ſuadetur, quae quoque ſemper, niſi contraindicans adſit, tutiſſima eſt.

p. 115. *Tumores* (uitwaſs) *gingiuarum* ſ. *epulis* ſ. *parulis* ſunt magis minusue prominentes, firmi non inflammati, interdum dolentes, ex ipſa gingiuarum ſubſtantia excreſcentes, ad dentes vt plurimum molares conſpicui. Oriuntur ex obſtructione vaſorum, ad dentes gingiuasque ſitorum, et ex materia, ibidem col-

p. 123. lecta, deprauata. Curatio vel exciſione vel cauteriis abſoluitur. *Sarcocele* ſ. *hernia carnoſa* eſt vel corruptio epidydimidum, vel deſtructio teſticulorum. Illa ad *tumores carnoſos*, haec ad *ſcirrhos* pertinet. Noſcitur prior ex deprauatis vaſis et contextu cellulari, epidydimidem componentibus, quibus vaſa prolongantur, contextus cellularis extendi-

tur

tur, et durior fit. Tumor ipſe in initio indolens eſt, et vbiuis liber; progreſſu vero increſcit, et vicinis partibus adhaeret; Poſterior cum *ſcirrhis* ſimilem fere habet originem, ita quidem, vt corruptio interdum in centro teſticuli incipiat, vbi periculoſior eſt, interdum vero ſuperficiem externam primum infeſtet. Curatio in priori, ſeparatione epidydimidis, in poſteriore exſtirpatione teſticuli abſoluitur. *Polypus partium genitalium ſexus ſequioris* ſ. *cercoſis* eſt quadruplex: Oritur enim 1. in fundo vteri 2. in ſuperficie interna colli vteri, 3. in ambitu orificii vteri interni vel 4. in ſuperficie interna vaginae vteri. Diagnoſis primae ſpeciei, quae difficillima eſt, formatur ex crebriore haemorrhagia vteri; alterius ſpeciei, ex tumore carnoſo, firmo, denſo, in vagina latente, eidem non adnexo, paulum ſupra orificium vteri poſito, cum involutione vel inuerſione orificii marginis, poſteriora verſus. Cognoſcitur tertia ſpecies ex tumore vel in vagina poſito, vel extra pudenda propendente, vaginae non adhaerente, ex orificio non, vel parum dilatato, paululumque oblique formato; quarta demum apparet ex tumore, intra vaginam conſpicuo, eidem adnexo, et forma et facie vteri orificii naturalibus. Cauſa proxima eadem eſt, quae *tumoribus carnoſis*, ex corrupta nimirum tunica harum partium celluloſo ſpongioſo muſculari. Conueniunt in eo, vt in baſi ſint p. 136. anguſtiores, multo latiores in progreſſu. Topica hic reiiciuntur, ſola operatione chirurgica, methodo Cl. LEVRET curatio inſtitui debet. In articulis oritur tumor, a Cl. Auctore *uitwas* dictus, ex in- p. 138. tima parte articuli oriundus, reſiſtentias vicinarum partium ſuperans, motum articuli impediens, exterius prorumpens, manifeſtisque ſignis conſpicuus. Cauſa proxima poſita eſt in deprauatione humorum textus cellularis, vaſa, quae glandulas mucoſas articulorum componunt, coniungentis. Conſpiciun-

tur potiſſimum in antibrachio et genu. Curatio conſiſtit in amputatione partis affectae. Si vero malignitas iam adſit, materia per integumenta viam ſibi parauerit et vicinos vel alios articulos iam arroſerit, nec operationi eſt locus, ſed medicamentis exſiccantibus, temperantibus et anodynis, cum iuſta diaeta, opus eſt. Diſtinguendus eſt is ab *lupia* et *hydrope articulorum*.

Pertractantur in ſexto capite *tumores oedematoſi*.

p. 143. Eſt ergo *oedema* tumor mollis, flaccidus, albus, indolens, inflammationi raro obnoxius, impreſſioni, diu duranti, cedens. Cauſa proxima debetur impeditae circumductioni humorum, per vaſa ſeroſo lymphatica partis affectae; vel pendet ab errore loci eiusdem humoris, in telam celluloſam effuſi. Curatio, ſi ex cauſa interna natum ſit, internis medicamentis inſtitui debet, vbi ab externis, frictione, ſuffimigiis, aromaticis, epithematibus reſoluentibus roborantibusque cet. admodum iuuantur; Quodſi vero *oedemata* malignitatem quandam acquiſiuerint, raro euentus bonus ſperandus eſt. *Tumor aquoſus ſ. her-*

p. 147 *nia cerebri* in eo ab *hydrocephalo* differt, vt partem aliquam capitis, ex ſuperabundante collectione humoris ſeroſi; eleuatam oſtendat, cum *hydrocephalus* e contrario totum caput tumidum reddat. *Hydrops ſpinalis medullae ſ. ſpina bifida* eſt tumor aquoſus, in hoc vel illo latere medullae ſpinalis conſpicuus.*) Ori-

p. 152. tur *hydrocephalus* vel *tumor cerebri* tum, cum ex tali collectione tenuiſſimi vapores exhalent, et in ventriculos deponantur. *Spinae bifidae* cauſa proxima duplex eſt vel eſt ea, quae *hydrocephalum* producit; vel a peculiari collectione humoris ſeroſi in canali ipſo ſpinae medullaris proficiſcitur. Haec, quaecunque

*) Conf. Cl. SWAGERMANN ontleed en heelkundige verhandeling van het waaterhoof etc. te Amſterdam. 1767. 8. § 6. ſeq.

quae ſint, mala, nullam curationem, ſit ex medicina, vel chirurgia petita, admittunt. *Hydrops tunicae intimae ſeu cyſtis* tres exhibet ſpecies: 1. *Hydatis*, eſt facculus membranaceus, humore aquoſo plenus, in variis corporis locis inueniendus. Cauſa proxima creditur extrauaſatio humoris, ex vaſe ſeroſo lymphatico, vel collectio ſuperabundans humoris in tota cellulosa, vel denique ſpiſſitudo lymphae, extra vaſa miſſae. 2. *Hydrops peritonaei* ſ. *anaſarca* eſt collectio ſeri, in contextu cellulari inter muſculos abdominales et peritoneum ſito. Naſcitur ex obſtructione vaſorum peritonei, qua, iisdem ruptis, ſerum effuſum cellulas vltra modum diſtendit. 4. *Hydrops ouarii* eſt praeternaturalis intumeſcentia ouarii, ex magna collectione ſeri. Oritur vel ex corruptione ouulorum, vel ex nimia impletione veſicularum aquoſarum, inter oua interdum ſitarum, vel denique accumulatione eiusdem materiae in ſubſtantia ſpongioſa ovulorum. Conueniunt hae tres ſpecies in eo, vt ſola operatione poſſint curari, vel certe earum ſymptomata ſopiri. p. 158. p. 169. p. 171.

Hydrocele (waaterbreuk) eſt collectio ſeri in partibus genitalibus ſexus potioris. Inter varias huius morbi ſpecies, eam tantum, quae ſcrotum tangit, concedit Noſter, et haec eſt triplex; vel cernitur in ſubſtantia celluloſa ſcroti, vel in vagina chordae ſpermaticae, vel tandem in tunica vaginali teſticuli. Cognoſcitur prima ſpecies ex ſcroto tumido, albo, veſtigia digiti impreſſi diu ſeruante, ita pene expanſo, vt interdum paraphymoſin habeat comitem, ex fluctuatione aquae intus contentae; altera, ſi ipſa chorda ſpermatica, per ſuum decurſum, aqua impleta videatur; et tertia, ex ipſa intumeſcentia teſticuli, ex abundantia aquae oriunda. Experientia docet, cauſam harum primam in collectione humoris ſeroſi eſſe poſitam. Curatur prima ſpecies, quae infantibus quaſi propria eſt, per epithemata p. 178.

calida, reſoluentia, ſcroto applicanda, quibus euacuantia et diaphoretica adiungantur; in adultis, vbi ſemper fere ex hydrope vniuerſali oritur, ſola
p. 182. operatione leuatur. Curatio reliquarum eſt *palliatiua* vel *vera*. Prior ab operatione, quae paracentheſi fit, dependet; altera ex morbi varia indole eſt varia: Si malum recentius eſt, ſcrotum non induratum videtur, ſetaceis, eſcharoticis, vel, ex mente Cell. RUISCH et MARINI, paruae inciſioni, in ſuprema parte laterali, cui turunda, qua ſuppuratio promoueatur, immittatur, locus conceditur; ſi inueteratum eſt, tumor ingens et induratus, ſine amputatione partis laeſae nulla ſalus ſperari poterit.
p. 185. *Hydrops articuli* eſt duplex: Vel humor in ſubſtantia cellulari, tendines et ligamenta articulorum ambiente, colligitur; vel in ipſa cauitate articulorum deprehenditur. Prior oriri poteſt ex labe vniuerſali, vel ex errore loci particulari. Curatur internis, diaeta bona, et ſubcalida; externe cataplaſma muſtaceum cum aceto, ex acribus deinde irritantibusque et reſoluentibus paratum applicandum eſt; poſte-
p. 189. rior ortum habet ex praeternaturaliter aucta ſecretione ſynouiae, et infarctu vaſorum reſorbentium. Curatio *hydropis*, in genere, interna inſtitui debet, hydragogis, euacuantibus, diſcutientibus, diaphoreticisque, diaeta tenui, ſubcalida et roborante; externa, vt in caſu priori.

p. 192. Examinantur in capite ſeptimo *tumores vaſorum ſanguiferorum*. *Aneuryſma verum* eſt partialis dilatatio cauae arteriae, vel extenſio huius vel illius lateris arteriae, ſine ſanguine, in vicinas partes effuſo; *ſpurium* eſt extrauaſatio ſanguinis arterioſi, in contextum cellularem arteriae vel partis adiacentis, ex inciſione fortuita tunicarum arteriae oriunda; *aneuryſma compoſitum* oritur tunc, ſi *verum* ita increverit,

verit, vt tunicae, vltra terminum diſtentae, vi ſanguinis, intus contenti, cedant, iis ergo ruptis, effuſus in tunica adipoſa adiacente colligatur, ibique tumorem maiorem formet. *) Omnes hae ſpecies, ſi in quadam cauitate corporis ſint, non, niſi palliatiue, curari poſſunt. Commendantur in hunc finem crebrior venaeſectio, euacuantia et diaeta temperans; ſi vero tumor in conſpectum venit, preſſione vel inciſione curari oportet. *Varix* eſt praeternaturalis dilatatio diametri partis cuiusdam venae. Conſpiciuntur vt plurimum in pedibus, in abdomine interdum grauidarum, temporibus, inguine cet. Oritur tum, ſi ſanguis in refluxu ſuo impedimento quocunque retardatur. Periculoſae, quaecunque eae demum ſint, non videntur. Curantur triplici modo 1. remouendis iis impedimentis, quibus ſanguinis refluxus retardatur 2. applicatione adſtringentium et exſiccantium, cum faſcia conueniente; vel inciſione varicis, amputatione partis affectae, vel applicandis denique cauteriis actualibus vel potentialibus 3. exciſione totius ſacci varicis. Huc pertinet *cirſocele*, quae eſt dilatatio venarum chordae ſpermaticae, quae eandem curam admittit.

p. 211.

p. 213.

In vltimo demum capite de *tumoribus dubiis* Cl. Auctor agit. *Bronchocele* ſ. *hernia gutturis* eſt tumor, qui a larynge ad aſperam arteriam vſque decurrit, nec raro totam colli latitudinem occupat. Facies eius triplex eſt 1. interdum eſt ſpecies *tumoris adipoſi*, in contextu cellulari muſculorum colli ſitum occupantis 2. interdum ad atheromata pertinet, ab intumeſcentia glandularum lymphaticarum oriunda 3. differt interdum a reliquis tumoribus, et conſiſtit in praeternaturali intumeſcentia glandulae

*) Hoc pertinet Cel. WALTHER progr. de aneuryſmate Lipſ. 1738. 4.

glandulae thyrioideae. Cauſa proxima pendet a collectione muci, in glandula thyrioidea ſecernendi. Curatur, ſi tumor recens eſt, et fluctuatio humoris percipitur, emplaſtris reſoluentibus; ſi his non cedit, operatione opus eſt. *Abſceſſus frigidi* ſunt tumores duri, paulum doloroſi, pertinaces, in cacochymicis reperiundi. Curatio internis, cum externis medicamentis coniunctis, abſoluitur. Commendantur hic corrigentia et roborantia, et tumor ipſe cataplaſmatis calefacientibus, eſcharoticisque ad ſuppurationem ducendus eſt, pus vero, inciſione facta, educendum. *Tumores lymphatici* ad priores pertinent, quibus pars quaedam organica in actione ſua impeditur, et quorum humor collectus easdem mutationes, quas lympha, patitur. Cum eorum ſedes propria in textu celluloſo ſit, proxima cauſa in collectione lymphae, vel in vaſis ipſis lymphaticis, vel in cellulis poſita videtur. Curantur applicatione medicamentorum reſoluentium cum ſale ammoniaco, et euacuantibus, ſiquidem tumor recens eſt, et ab ipſo vitio ſyſtematis vaſorum lymphaticorum pendet; ſi vero alii labi, venereae v. c. ortum debet, hanc ante omnia curari oportet: ſed nec haec iuuant, ſi effuſio humorum, vitio quocunque, in cellulas contextus celluloſi facta fuerit, ſola pectus operatione curandi ſunt.

p. 225.

p. 229.

p. 239.

XXXVI.

XXXVI.

Diſſ. inaug. de funiculo vmbilicali vel intra vterum diſſecando. Praeſide IOANNE TRAUGOTT ADOLPH M. D. et Anat. ac Chir. Prof. Publ. Ord. Reſp. *Conrado Henrico Auguſto Hertz*, Bononienſe. Helmſtadii, 1767. 4. plagg. 9. tab. aen.

Funiculum vmbilicalem, ſi, collo fetus circumuolutus, partus difficilis cauſa exiſtat, diſſecandum vel intra vterum eſſe Cl. Auctor aſſerit. Plura vero phyſiologica, ad plethoram arteriolam in eiusmodi fetubus demonſtrandam, praemittit, ſubtilioresque calculos addit, quae tamen omnia omittimus. Quod vero diſſectionem funis ipſius attinet, manu immiſſa in vterum, taeniae dimidiam vlnam longae opé, nodum circa funiculum facere eumque conſtringere iubet, nodoque facto cultro minore incuruo funem inter nodum et placentam in vtero diſſecat. Modum, quo taeniam circa funiculum ducit, nodum conſtringit, cultrumque immittit cet. fuſius et longo verborum apparatu Auctor Cl. deſcribit. Alio tamen loco iam mouimus, totum hoc artificium vix unquam applicari poſſe *).

*) vid. Comment. Vol. XVII. p. 291. vbi Cl. PLENCK *elementa art. obſtetr.* indicauimus.

Contenta in hac parte.

I. LINNAEI amoenitates academicae. Vol. VIrum pag. 3

II. The history and present state of electricity. By PRIESTLEY 27

III. Collezione istorica di casi chirurgici du CAVALLINI 37

IV. TRALLES de methodo medendi SYDENHAMI etc. in variolarum curatione etc. epistola apologetica 45

V. DE HAEN ad TRALLES epistolam responsio 46

VI. TRALLES vexatissimum nostra aetate, de insitione variolarum etc. argumentum 47

VII. DE HAEN ad sibi communicatas observationes Vratislauienses, de cicuta responsio 49

VIII. Alethophilorum quorumdam Viennensium elucidatio necessaria, epistolae, de cicutae HAENII ad TRALLES 51

IX. TARTREAUX epistola TRALLES ad. versus HAEN in causa, de cicutae vsu 51.

X. PLENCK nouum systema tumorum 56.

XI. TAYLOR noua nolographia ophthalmica 60.

XII. Tal om farfoter som mäse häria ibland rikora allmoge af BACK 69.

XIII. EUGALENUS de scorbuto liber 74

XIV. VERSCHUIR diss. de arteriarum et venarum vi irritabili etc. 78.

XV. TRILLERI opuscula medica ac medico philologica Tom. I. II. 83

XVI. MEDICUS *Geschichte periodischer Krankheiten. Erstes und zweytes Buch* 89

XVII. De la conservation des enfans par Mr. RAULIN 97

XVIII. Ragionamento intorno all' obligo d' allatari i propri figliuoli DEL BENVENUTO DI SAN RAFAELE 108

XIX. An essay diseases most fatal to infants 110

XX. ZÜCKERTS *Unterricht für rechtschaffene Eltern zur diätetischen Pflege ihrer Säuglinge* 116

XXI.

XXI. Lettre à Mr. ZIMMERMANN ſur l'épidémie courante par Mr. TISSOT 119
XXII. KRAPF experimenta, de nonnullorum ranunculorum venenata qualitate, horumq; in et externo vſu 128
XXIII. La ſtoria della grave malatia di LIZZARI 130
XXIV. diſſ. delle morti e malattie ſubitanee ove ſpezialmente de' polipi del cuore e del malo terribile dell' apopleſſia 135
XXV. Diſſ. ſur la mechaniſme et les uſages de la réſpiration. Par Mr. DAVID 139
XXVI. TRABUCHI diſſ. de mechaniſmo et vſu reſpirationis 147
XXVII. PLATNERI ars medendi 146
XXVIII. DU PORT de ſignis morborum libri IV. 149
XXIX. SEBENICO diſſ. qua reſpiratio fetus in matrice euincitur eſſe nulla 153
XXX. Mémoire ſur la vitalité des enfans par Mr. HOIN 153
XXXI. Diſſ. ſur l'origine de la maladie vénérienne par Mr. S. 156
XXXII. Lettres ſur la méthode s'enrichir promptement, et de ſe conſerver ſa ſanté par la culture de végétaux exotiques. Par Mr. BUC'HOZ 160
XXXIII. WRISBERG de animalculis infuſoriis 167
XXXIV. BALDINGER *von den Krankheiten einer Armee* 169
XXXV. Proeve over de voornamſte langduurige gezwellen, door DAVID VAN GESSCHER. 178
XXXVI. ADOLPH diſſ. de funiculo vmbilicali vel intra vterum diſſecando 189

Libri noui
in officina Gleditſchiana proſtantes.

The vegetable ſyſtem or the internal ſtructure and the Life of Plants by IOHN HILL. XVIII. Vol. cum fig. London 1770.

HUNSD. the conſtruction of Timber from its early growth, explained by the Microſcope, and proved from experiments; in a great variety of Kinds in five Books. cum fig. fol. London 1770.

LESTER, MARTIN: hiſtoriae ſiue ſynopſis methodicae conchyliorum et tabularum anatomicarum Edit altera recenſuit GUIL. HUDDESFORD. fol. cum fig. Oxonii, 1770.

Illuſtrations of natural hiſtory wherein are exhibited upwards of two hundert and forty figures of exotic inſects, by DRURY. 4. c. fig. London 1770.

Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire des inſectes precedés de diſcours ſur les inſectes en général. Par CHARL. DE GEER. Tome ſecond, avec fig. à Stockholm, 1771.

Déſcription vertus et uſages de ſept cents dixneuf plantes tant étrangeres, que de nos climats et de cent trente quatre animaux, gravées ſur les deſſeins d'apuis nature, de eſt de Garſault etc. et rangées ſuivant l'ordre du Livre matière médicale de M. GEOFFROY. VI. Vol. 8. à Paris, 1767.

Gli Atti dell' accademia della ſcienze di Siena 3 Vol. 4. con fig. in Siena 1761.